NAZ.
uele III
II
9
LI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
C
59
NAPOLI

XLII

IANI
GVLIELMII
VERISIMILIVM
LIBRI TRES.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXXXII.

AD ILLVSTREM ET GENEROSVM DOMINVM IO. CYRIACVM L. BARONEM POLHEMIVM, ET VVARTENBVRGICVM, &c.

IANI GVLIELMI *Lubecenſis* PRÆFATIO.

CVM multis in rebus verũ experimur, quod à ſapiētiſſimis viris proditum eſt, honeſtum ſuapte vi pollère, aliena illa laudis atque vtilitatis lenocinia, vt alliciat impellatq́. hominum animos, non deſiderare; tam nuſquam magis, meo iudicio, opinor tuo etiam generoſiſſime IO. CYRIACE, quàm in humanitatis & litterarum ſtudiis. Etenim ſi cogites, quid id ſit, quod optimam quamque indolem inflamatam ſtudio rapiat ad antiquitatis rerumq́. geſtarum memoriam, quæque de virtutibus eſt doctrinam, adeoque vno nomine humanitatem cognoſcendam, excitetque ad cultum linguarum earum, quibus incluſi hi theſauri rerum nobiliſſimarum tenentur; non temerè reperias aliud præter opinio-

opinionem, non auditione acceptam illam, ſed à natura inſitam atque innatam, honeſtiſſimè ſciri omnia hæc; ignorari ac prætermitti turpiter, & ab ignauiſſimo quoque, aut, quod iuxtà eſt, ſtolidiſſimo, quiue, quid in hac naturæ præſtantia hominem imprimis deceat, illuſtretque maximè, perſpicere non poſſit. Præmia quidem doctrinarum ac virtutis ab imperitiſſimis occupari ſentimus, quorum opera popularis, & ſplendor in vulgus eſt: neque id rectè, an ſecus fiat, nunc diſputo; hoc quidem, ego ſi taceam, res ipſa loquatur, vt ad opes honoreſque nitare, coli & amari litteras non poſſe: quas qui arctius amplectuntur, iam etiam vltrò ſibi, mitto dicere ad dignitates & opulentiam (nam ferendum hoc quidem aliquo modo eſſet tamen) ſed ad ipſam quoque, ſi diis placet, veram & ſolidam laudem aditum præcludunt. Huc enim rerum ventum eſt, & parum fuit imperitiæ diuitias ac honores ex victis litteris ſpolia cepiſſe, niſi hoc quoque dedecus inurerent, inerteſque & inſanas audire vulgo cogerent. Itaque quod ille olim monebat ſapientes, vt laterent, & ſe à luce publica & turba famaque etiam hominum in otium & tenebras vindicarent, ſatiſque haberent bene vixiſſe, & latuiſſe; hoc nunc vt aliter faciant

copiæ

copiæ non eſt: quippe vbi in maximis tempeſtatibus, quibus multas reſpublicas iam peſſum ire videmus, vt quiſque à doctrina reliƈtiſſimus atque imparatiſſimus eſt, vt ab humanitate refugere ſemper viſus eſt longiſſimè, ita facillimè ad clauum admittitur: hi, quibus ſolis ſuæ reipublicæ gubernacula Plato commendat, ſi viuere iam, & in ſentina iacêre poſſunt, pulcrè diſcedunt. Nam philoſophum quidem nunc quis è multitudine admiratur? quis non cùm occaſio eſt irridendi, arripit? adeoque ſi nulla eſt, tamen arripit nullam? *nemo, herculè nemo*: vt ait in re ſimili Perſius; niſi qui aut eodē morbo (nam quæ nunc tempora ſunt, hoc verbo vtendum eſt) laborant, eandemque ſe in corruptelam coniecerunt; aut diuino quodam iudicio (quod genus in multis millibus vix ſingulos reperias) quanto plus in receſſu litteræ boni habeant, quàm primore fronte de ſe promittunt, animaduerterūt. Quamobrem ſi quem neque rei ſuæ reſpectus deterret, neque, quæ pleroſque omnes tranſuerſos agit, ambitio retrahit, neque hominum ſermo moratur, quin animi ſui ſententiam accedat, perpetuoque deinde quem initio curſum petiuerit teneat, quid eum aliud cenſebimus, quàm poſteaquam ad eius oculos honeſti pulcritudo al-

do alluxerit, mirifica illa ſpecie ſola percuſſum, tamquam deo impletum, parui putaſſe omnia, præquam ne illud è manibus atque amplexu amitteret. Et mihi quidem in hac cogitatione verſanti, tu imprimis occurrere ſoles, generoſiſſime IO. CYRIACE, qui vtrumque, & perſpexeris ſpeciem hanc prudentiſſimè, & amâris conſtantiſſimè. Vidi enim ipſe ante paucos annos, Roſtochij cùm viueremus vterque, incredibilem contentionem animi tui, & exercitationes in omni ſtudiorum genere aſſiduas: cùm tu nobis omnibus præires exemplo non modò diligentiæ, ſed etiam continentiæ; neque ſolùm voluptati, ſed omnino otio; ſiue verius eſt requiem dici, atque intercapedinem laboris; bellum indiceres, vt in optato ſapientiæ portu maturè conquieſceres. Itaque in tanto auditorum numero, quantum & opportuniſſimæ vrbis ſitus famaque celebris Academiæ, & clariſſimorum virorum Caſelij, Brucæi, Chytræorum, aliorumque auctoritas facere poterat, nemo magis doctoribus in ore erat, quem illi ſobrium continentemque laudabant, vt naturæ tamen bonum agnoſcerent, totumque cælo fluxiſſe, vti ne ſi velles quidem poſſes à te ipſo deſciſcere: diligentiam illam commemorabilem & neſcio

an in

an in veſtro iſto ordine ſine exemplo, cùm dies noctesq. tibi inſtares; quando id in optima natura plerumque contrà occurrit; ſic admirabantur, nihil vt poſſe præclarius faterentur. Magnum hoc, magnum in homine copioſo & beato; in eo verò qui genere cum nobiliſſimis Germaniæ noſtræ comparari, opibus anteferri etiam pleriſque poſſit, vix iam humanum eſt. Me quidem certè ita cepiſti, vt & tunc ſtatim admirari te cœperim, & hoc tẽpore cuius patrocinio librum hunc potius committere vellem, ex omni nobilium noſtrorum flore repererim neminem, tum ob auctoritatem nominis tui apud omnes merito tuo maximam, quæ mihi & præſidio aduerſus inuidorum calumnias & honori ad famam bonorum futura eſſet: tum propter ſummam illam & notam pridem mihi humanitatem tuam. Qui enim iam olim ea quæ admodum adoleſcentulo exciderunt, non aſpernari viſus es, vt hæc non item lubenter in clientelam tuam recepturus ſis, videor metuere non debere; non illa quidem fortaſſe multo politiora, neque priuatim ad famam nominis mei vberiora, ſed tamen, ſi iudicare mihi de ſtudiis meis permittitur, multo publicè vtiliora. Nam reliquis in rebus ſcriptione ſuperſederi ſæpe poterat; cùm

omnia politiſſimi veteres, & inuenerint, quàm ij qui nunc ſunt homines, acutiùs, & diſſeruerint ornatiùs: hoc genus hac litterarum ætate, & librorum ea, qua laboramus infinita propemodum mole, ſolùm neceſſarium eſt: ſi quidem intereſt linguarum & artium, limpidiſſimos fontes antiquorum hominum; è quibus ſolis illæ recte & præfiſcinè hauriuntur; iniuria temporum turbidos, obſtructos etiam ſæpe, retari & perpurgari; quod certè intereſt, idque arbitror negaturum neminem. nam libri vel ſapientiſſimè ſcripti, niſi intelligantur, vſui eſſe non poſſunt; ſed nec intelligi; ſi maculis ſcateant. Ita fit, vt hiſce eluendis operam qui impendunt, eâdem pulcerrimis monimentis & integritatem nitoremque ſuum reſtituant, & lucem fenerentur. Quod vtrumque & ipſe heic ſecutus ſum certè; quantum autem conſecutus ſim tu iudicabis generoſiſſime Io. CYRIACE & à te eruditi viri alij: quos tamen, ſi cogitabunt, hanc me ſcribendi viam primum popularium meorum, præcedente quem ſubſequerer nullo, ingreſſum, æquiores ſpero futuros induſtriæ meæ; neque tam reprehenſione, ſicubi defecero, quàm, vbi perduxero, laude dignum iudicaturos. Te quidem qua es humanitate, certò ſcio conatus

natus hoſce meos non improbaturum, excuſaturumque offenſiunculas, quæ erunt, apud alios adoleſcentiæ, nonnullos etiam patriæ nomine. Quod vt facias & à claritate nominis tui hæc noſtra ſplendoris nonnihil mutuari patiare, meque adeò totum aduerſus maliuolos tuendum tibi defendendumque ſuſcipias, etiam atque etiam abs te petõ. Vale. In Agrippinenſibus, Kalend. Decembris. ∞. D. XXCI.

IN IANI GVLIELMI VERISIMILIVM LIBROS FRANCIS. MODII BRVGENSIS ELEGIA.

ET *meritò quoniam dia hic inhonôra iacebat*
Doctrina, ad populos iuit Hyperboreos:
Vt quos tantum olim merces audire ſolemus
Tractare, atque illis anteputare nihil,
Ingeniis certent noſtris: nunc & bona captent
Quæ metuant vlla poſſe perire die.
Sic ſolet illa Iouis iuſti iuſtiſſima proles;
Aufert contemni quæ ſua dona videt.
Ergo igitur quas præſentes deſpeximus artes
Cum magna abſentes quærimus inuidia.
Etſi cur aliis hæc inuideamus, inante
Publica quæ in nobis temnere fama ſolet?
Quin potius faueo laudem hanc, & gratulor illam
Seu tibi GVLIELMI *ſiue tuæ patriæ.*
Eſt fateor LVBECCVM *aliis ampliſſima rebus,*
Regum quæ que ſuis æquet opes opibus:
Sed commune illud ſi non cum pluribus illi eſt,
Cum paucis certè haud eſſe negare potes.
Laus erit vna dehinc, communem dicere nemo
Quam queat, ingenio parta tropæa tuo.
Hoc vno LVBECCVM *vrbes ſupereminet omnes;*
Nec ſolum HANSATICI *eſt fœderis illa caput,*
Sed memoranda orbi, qua iungit manc nouo ſol,
Et qua defeſſos veſpere ſoluit equos.
Ergo ô felicem te, ô terque quaterque beatum
GVLIELMI, *per quem ſic patria auxit honos.*

Debebas

Debebas illi vitam, maiora dediſti,
Nec moriens quiſquam plura aliquando dedit.
Quam tu viuenti viuens largiris, honore
Dum illam tam ſolido perpetuóque beas.
Et tu LVBECCVM, *mere flos, atque vrbium ocelle,*
Quæ fors fortunæ par potis eſſe tua eſt?
Nomine cælum æquas, & tangis ſidera fama,
Siue GVLIELMI *munere ſiue tuo.*
Nec reliquum eſt aliud, magis & magis vt clareſcas
Porro etiam quàm illum vt debito honore colas.
Ingenio qui te & calamo ſuper æthera vexit.
Ne illum fors pigeat gratuito eſſe pium.
Gaudet honorari virtus, & digna merendo eſt:
Quippe homines ſoleat quæ facere vna deos.

INDEX

INDEX CAPITVM QVÆ LIBRO PRIMO.

CAPVT I. *Miſargyrides. Plautus Moſtellaria emendatus locis tribus.*

CAP. II. *Habe tibi res tuas. Duûm locorum Afranij apud Nonium correctio.*

CAP. III. *Inſignis M. Varronis ſententia correcta. item Plautus, Terentius, Ouidius leuiter.*

CAP. IIII. *Bona ſcæua. Panitet. Priui cuſtodes. Imodò. Peſſum ire, premere. Plauti Pſeudolus multis locis emendata, vno Moſtellaria.*

CAP. V. *Hendecaſyllabi poëtæ veteris apud Iſidorum maculoſiſſimi nitori ſuo reſtituti.*

CAP. VI. *Obſerere beneficia, pugnos. Serere fallaciã. Bitere & bitare. Attij fragmẽta aliquot correcta, & Plautus Pœnulo.*

CAP. VII. *Tubuli. Animi angi. Pretio vincere. Cicero Verrinis aliquantis locis emendatus.*

CAP. IIX. *Vita familiaris. Lubens. Lubentia. Plauti Perſa duûm locorum reſtitutio.*

CAP. IX. *Truones. Silus. In Feſto pauca animaduerſa.*

CAP. X. *Videri ſcribendum ſaltim, non, vt vulgò, ſaltem. Illuſtratus Gellius lib. XII. cap. XIIII.*

CAP. XI. *Pergula. Creta in toga candidati. Inſipare. Pædidum. Pomponius apud Nonium reſtitutus pluries.*

CAP. XII. *Notatum prouerbium, Oſſa atque pellis. tum Virgilius, Ouidius, Plautus emendati.*

CAP. XIII. *Notatum item prouerbium, Vipera eſt in veprecula. Cacabus. Illuſtratus Virgilius, & Cicero pro Sextio.*

CAP. XIV. *Votitus. Tamenetſi. Nullus pro non. Caſinæ prologo verſus, item alter ipſa in fabula reſtitutus & Terentius Andria.*

CAP. XV. *Varronis duo fragmenta compoſita. eiuſdem*

Modij

Modij argumentum, & indidem ſententia adducta expreſſa de Plauto.

CAP. XVI. *Euripidis Medea locus emendatus, & cum ſimili Ciceronis compoſitus.*

CAP. XVII. *Paccuuij verſus aliquot compoſiti de coniectura, & correcti.*

CAP. XIIX. *Vocare. Vocationes. Emendatus Eunucho Terentius bis, Sticho Plautus ſemel.*

CAP. XIX. *Aucupare. Quo pro quod. Threces. M. Varro De lingua Latina quarto libro correctus: item Cæcilius.*

CAP. XX. *Præſidium pro viatico. Emendata Plauti Pœnulus.*

CAP. XXI. *Pecua præcia. Præcia. Species luminis. Specere. Attij fragmenta multoties emaculata apud Nonium.*

CAP. XXII. *Aui aduerſa. Ilij. Addubitatum de Plauti verſu Bacchidibus: alius indidem emendatus.*

CAP. XXIII. *Mos antiquus in nuptiis. Mutinus Tritinus. Mutinum, Muto. Mutoniatus. Præſidêre. Correctus Lactantius, & locis duobus Lucillius.*

CAP. XXIV. *Plauti Stichus emendata locis duobus, vnò Trinummus. item Titinnius leniter.*

CAP. XXV. *M. Varro quinto De lingua Latina emendatus.*

QVÆ LIBRO II.

CAP. I. *Lucillij Saturæ* XXX. *quod videatur fuiſſe argumentum. in eam rem complures ex ea verſus adducti, & de coniectura compoſiti, correcti.*

CAP. II. *Manſum ex ore dare, prouerbium. Oreæ. Culpæ. Eadem Satura emendatus Lucillius.*

CAP. III. *Tagere. Tagaces. Peruenari. Truculentus Plauti correcta.*

CAP. IV. *Exante. Inante. Inſuper habere. Supereſſe pro defendere. Emendatus Appuleius & de Oratore Cicero.*

CAP. V. *Tegillum & tectum, pro veſte. Alieni. Appuleius correctus: item Lucillius apud Nonium & Cato apud Feſtum.*

CAP. VI. *E Plauto inſigne gloſſema ſublatum: tum emendati & concinnati verſus aliquot.*

CAP. VII. *Tolutim ire. Acupedius. Sonticum. Remos detondere. Emendatus Nonij verſus, & complures Lucillij.*

CAP. IIX. *Conſilium. Conſiliari. Opus approbare. Durare. Illuſtratus Plautus Pœnulo & Aſinaria.*

CAP. IX. *Lucillij fragmenta aliquot correcta, compoſita, & cum Terentij loco ſimili collata.*

CAP. X. *Eiuſdem Lucillij verſus cum Terentij & Virgilij compoſiti: tum adducta in medium & emendata inſignis ſententia.*

CAP. XI. *Herere alicui. Numerus. Neglegi pro neglexi. Sacramenti militaris formula. Correctus Cicero Philippicis, & Terentius Adelphis.*

CAP. XII. *Sarcinare. Aciæ. Machinæ ſarcinatricum. Nonius reſtitutus, & explicatus apud eum Varro.*

CAP. XIII. *Ilico pro illico. Plautus Menæchmis & Truculento emendatus: item Varro.*

CAP. XIV. *Mos antiquus laudandi nouam nuptam, & cur iactati in nuptiis feſcennini.*

CAP. XV. *St. Cautes Terentij Heautontimorumenos correcta.*

CAP. XVI. *Surdè audire. Surdo narrare. Græca mercede curare. Homo non ſeſcunciæ. Correctus Pomponius.*

CAP. XVII. *Rota fortunæ. Peculiares ſerui & ancillæ. Tunicæ laxæ. Tibullus illuſtratus locis aliquot.*

CAP. XIIX. *Frater cibarius. Cibicida. Amicus ferentarius. Varronis fragmentum emaculatum, & cum altero compoſitum.*

CAP. XIX. *Quid niſi. Tempori. Andriæ Terentij verſus tres de coniectura conſtituti.*

CAP.

CAP. XX. *Plautus Aſinaria emendatus.*

CAP. XXI. *Tricari. Tricones. Repoſcones. Abundare voluptatibus. Turpilij fragmenta emaculata.*

CAP. XXII. *Correctus Plautus Caſina & Moſtellaria.*

CAP. XXIII. *Fragmenta Turpilij aliquanta reſtituta.*

CAP. XXIV. *In A. Gellio pauca animaduerſa: & correcti verſus Cæcilij.*

CAP. XXV. *Aliuta. Aſſerere. Rudente Plauti duûm locorum correctio.*

QVÆ LIBRO III.

CAP. I. *Interdare. Bonis emungi, eluere. Offrenari. Plautus Captiuis emendatus, &, ſi fortè, Rudente.*

CAP. II. *Exſilij cauſa ſolum vertere. Fatiſcere. Cicero epiſtola ad Brutum emaculatus.*

CAP. III. *A ſe ſpernere. Virtus. Maculam eluere. Fuſti pectere. Plautus Sticho correctus & Ennius apud Nonium.*

CAP. IV. *Actores. Miluina. Externatus animi. Loca lautia. Reſtitutus Appuleius pluries.*

CAP. V. *Sparti. Tages. Emaculatus Cenſorinus, & fragmentum L. Attij.*

CAP. VI. *Tentio. Tentigo. Tendere. Mors Ariſtotelis. μοῖρα. Morta. Ex eodem Cenſorino menda aliquot ſublata.*

CAP. VII. *Rata vota. Reſignare. Lana. Diſcingere. Emaculati verſus aliquot Martialis.*

CAP. IIX. *Exefficio. Curioſi, prouerbium. Correcta fragmenta Afranij & Nauij: & illuſtratus Plautus.*

CAP. IX. *Reprehendere. Omnes inimicos repperire, prouerbiũ. Raui. Correctus Plautus Epidico, Terẽtius Andria.*

CAP. X. *Tempori. Magis magíſque. Scuta proiecta. Emaculata fragmenta Siſennæ.*

CAP. XI. *Oram orationis adbibere. Ora pro rei initio. Miles Plauti emendata.*

CAP. XII. *De ſilicernio notata quæpiam. λίχνοι. Rapere*

pere de rogo canam. Buſtirapi. Correctæ gloſſæ veteres. & apud Nonium Varro.

CAP. XIII. *Mundus. In mundo eſſe. Satullè. Emaculatus Appuleius: item Plautus Perſa, & Gellius.*

CAP. XIV. *E Quintiliano maculæ aliquot ſublatæ.*

CAP. XV. *Pigmenta. Frumen ſiue rumen. Fruniſci. Ruminari. Irrumare. Varronis fragmenta aliquot correcta: duo compoſita.*

CAP. XVI. *Eſcendere. Exſcendere. Neruias extendere. Cicero, Varro, Feſtus, Cæcilius emendati.*

CAP. XVII. *Flectere comam. Prata. Candida. Trita. Colere. Emaculata multa in Martiale.*

CAP. XIIX. *Riuales. Luna aquulenta. Varro apud Nonium correctus.*

CAP. XIX. Βοῦς ἐν πόλει, *prouerbium. Deſpectare. Hiſcere. Martialis emendatus.*

CAP. XX. *Carmen. Carminare. Plautus emendatus Menæchmis.*

CAP. XXI. *Tria Varronis fragmenta apud Nonium compoſita.*

CAP. XXII. *Martialis aliquot locis emendatus. Biuira.*

CAP. XXIII. *Pompa. Nihil amare. Caſſa ſpecula, terricula. Mulo inſcitior. Muli. Ciſtellaria Plauti explicata, emendata.*

CAP. XXIV. *Duûm item locorum in Plauto correctio.*

CAP. XXV. *Exigere. Defendere pro arcêre. Auêre. In Martiali verſus aliquot emaculati.*

IANI GVLIELMII

VERISIMILIVM

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Miſargyrides. Plautus Moſtellaria emendatus locis tribus.

LEPIDE ludunt Comici in perſonarum nominibus ad rem quã repræſentant accommodatè excogitandis: & plerumque illi quidem iis quæ cõgnatione quadam cum re cohærent, interdum tamen & contrariis quàm res poſcat confingendis, ludos vrbaniſſimos faciunt. Ita Plautus Perſa paraſito nomen fecit Saturioni, cui venter numquam non creparet inedia, planeque eſurio, vt ipſemet ait, eſſet: non ſaturio. Simile commentum excidiſſe ſuſpicor Moſtellaria, Scæna Scelèſtiorem ego annum.

——Hic it ad me. ſaluus ſum,
Spes eſt de argento. TR. *hilarus eſt fruſtrà iſthic homo,*
Saluere iubeo te mi Saturites benè.

Mouet me, quod in ſuis libris inuenit doctiſſimus Camerarius, *mi ſartirites:* quibus coniunctis & leuiter immutatis lego, *Saluere iubeo te Miſargyrides benè.* Primùm proximè ductum ſcripturæ veteris: tum venuſtè arbitrabar ἀντιϛράζειν argenti-odium, qui ita lucellum inhiaret, vt vel os ſibi verberari pugnis, modò argenteis, facilè pateretur. Poſtremò in Adelphos Terentij Donatus liquidò confirmat Miſargyriden

trapezitæ Plautini nomen eſſe, quem fruſtra alibi quæras, ſi hunc quem reprehendi amiſeris. Eadem Scæna, Serui qui cùm.

Vide ſis ne fortè ad merendam quopiam deuorteris,
Atque ibi meliuſculè quàm ſat fuerit biberis.

Malim legere: *Atque ibi ne pluſculè.* Mox:

Ita dico, ne ad alias ædis perperam deueneris.
PH. Scio quà me ire oportet & quò venerim: noui loqui.

Hæc vt alij explicent, non me fugit: ſed verius exiſtimo perperam vulgari, corrigendumque eſſe:

Scio quò me ire oportet, & quò venerim noui loci.

Locus, loquus; vt cocus coquus, ſecor ſequor, alia promiſcuè ſcribebant: & παρέλκον elegans eſt, ſimile iſtis: vbi loci, huc locorum, huc viciniæ. Terentius:

Interea mulier quædam ab hinc triennium
Ex Andro commigrauit huc viciniæ.

Ita interpres vetus, quem ſequi quàm Nonium multò malo. Sic enim & Plautus Mercatore:

Vt iſthuc eſt lepidum! proximè viciniæ
Habitat.

Probat emendationem meam & hoc quod ſubiicit ſtatim, quò venerit:

Philolaches hic habitat, cuius eſt pater Theuropides.

CAPVT II.

Habe tibi res tuas. Duûm locorum Afranij apud Nonium correctio.

VIM negocij hominibus eruditis offudit Nonius: dum optimis ſcriptoribus admutilandis mendorum ſegetem ſerit ita vberem, vt ei ne cum Theſeo quidem Hercules exſtirpandæ futurus videatur. In ea nos quoque non inutiliter laboraſſe,

Sperat

Sperat quidem animus, quò eueniat diis in manu eſt.

In Vafer.

Afranius Diuortio. Qui concr noctu clanculum bruſire dotem ne remittas vafer, honeſtè vt latites & nos laudas diutius.

Intricarunt hęc plerique, dum nodum in ſcirpo quærunt: extricauit, quod ſciam, hactenus nemo. Lego:

——qui conere noctu clanculum
Rus ire, dotem ne repromittas vafer:
Honeſtè vt latites, & nos ludas diutius.

Argumẽtum fabulæ ex titulo vidêre eſt fuiſſe de diſceſſione coniugum: in ea dos reddebatur vxori iure Romano: id ex veteri formula notum, HABE TIBI RES TVAS: ad quam alluſit Philippica II. Cicero. *Illam ſuas ſibi res habere iuſſit, ex duodecim tabulis: claues ademit, foráſque exegit.* Apuleius Mileſiarum tertio: *Tu quidem*, inquit, *tibi iſtud tam dirum facinus: confeſtim toro meo deuorte: tibique habe res tuas.* Porro vt ſpondebant, promittebant; ita reſpondebant, repromittebant præſentes. hoc itaque inſimulatur maritus, rus cogitare, ne dotem repromittat.

In Coniicere.

Afranius Incendio. Seruus eſt mihi Nicaſio ſceleratus curioſus is cum filio ei coniicere ad neſcio quid de latriuncula.

Hæc in verſus repono, & emaculo, cumq. alio loco, quem laudat idem Nonius in Concedere, ita cõparo:

——Seruus eſt mihi Nicaſio
Sceleratus, curioſus; is cum filio
It coniicere hac neſcio quid de ratiuncula.
Atque eccum incedit, hôc procul conceſſero.

It coniicere eſt parat coniicere, vt Terentio *It viſere.* in libris fuiſſe videtur Eit ἀρχαϊκῶς: quod poſtea loco corrumpendo fuit.

CAPVT III.

Inſignis M. Varronis ſententia correcta. item Plautus, Terentius, Ouidius leuiter.

M. VARRONIS doctiſſimam ſententiam aliis fruſtra tentatam nuper mihi perſanaſſe viſus ſum apud Nonium in Calx,

Nemini fortuna currum à carcere intimo miſſum leui
Inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſubit.

Emendationem meam ſubiiciam, rectè an ſecus exiſtimatio erit doctorum: ſic igitur in ſeptenarios repono.

Nemini fortuna currum miſſum à carcere intimo
Labi inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſinit.

Nocuit huic loco, quod innumeris aliis bonorum ſcriptorum, ignoratam diu fuiſſe cognationem V & B litterarum. Cùm ergo in veteribus *laui* eſſet, quod erat *labi*: iſti correctores *leui* fecerunt: quem errorem commiſſum etiam ſuſpicor eiuſdem Varronis *κοσμοτορωύνη ἢ περὶ φθορᾶς κόσμου*, quem locum adſcribam, compoſitum à me cum fragmento altero, quod eodem libro idem Nonius conſeruauit, vt emendandum exiſtimo,

Propter cunas capulum poſitum eſt,
Nutrix tradit pollinctori.
Detis habenas animæ labi,
Dum ventus nos flamine ſudo
Suauem ad patriam perducit.

Verſus ſunt anapæſtici dulciſſimè facti. tertiò vulgatur, *animæ leui:* mendosè opinor. labat enim verſus; & tamen ſi quis contra tendet, pertinax heic non ſum. Eadem cauſſa næuum adſperſit verſui Plautino, Trinumo:

Si animus hominem perpulit, actum eſt: animo ſeruiuit, non ſibi.

Si ipſe animum perpulit; dum viuit, victor victorũ cluet. Verum enim eſt, *ſeruibit.* antiquè, vt *audibit.* Si, inquit, ſemel animo indulſeris, ætatem illi ſeruitutem ſerüies. Porrò *ſinit* ſcribſi, vt verſus conſtet: potuiſſem *ſiit*; ſed dixiſſe veteres *ſini*, quod nos enuntiamus ſiui, notum eſt. id etiam in Terentio fuerat, Andria:

Dum tempus ad eam rem tulit, ſiui: animum vt explêret ſuum.

ſic enim MS. Colonienſis: abſque quo eſſet, potuiſſet nos vel Donatus monuiſſe de mendo. ait enim antiquè dictum; tum aliter vſurpari Adelphis, *Non ſiuit egeſtas facere nos.* In vtroque fruſtra erit, ſi publicatos libros ſequare. Sinit igitur cùm eſſet in Nonio, imperiti mutarunt in *ſiuit*, aut quod idem eſt, & in vetuſtis editionibus exſtat, *ſibit:* vnde porrò ſubiit iſtud *ſubit.* Neque mihi dubium eſt, quin reſpexerit huc Ouidius Triſtibus:

Nam pede inoffenſo ſpatium decurrere vitæ
Dignus es, & fato candidiore frui.

ita libri ſcripti. vulgò, *procurrere:* ineptiſſimè. At illo modo Cicero Catone: *Quaſi decurſo vitæ ſpatio ad carceres à calce reuocari.*

CAPVT IIII.

Bona ſcæua. Pænitet. Priui cuſtodes. I modò. Peſſum ire, premere. Plauti Pſeudolus multis locis emendata, vno Moſtellaria.

PLAVTI Pſeudolus quod habet in editionibus vulgariis: *Studete hodie mihi, bona in ſcænam adſero,*
Nam bona bonis ferri reor æquum maximè.

Vitio librariorum corruptum cenſeo, polluláq. mutatione legendum, *bonam ſcæuam*. vt hoc dicat, auſpicatò ſiue bono & liquido auſpicio in ſcænam ſe progredi. nam & ludi auſpicatò & bono cum omine committebantur, & aliter ſi fieret, inſtauratiuis opus erat. Bona ſcæua idem quod auſpicium bonum. hac fabula infrà:

Benè ego ab hoc prædatus ibo, noui: bona ſcæua eſt mihi.

Scæna Pſeudole non:

Metuunt credere omnes. B A. *eadem eſt mihi lex, metuo credere.*

P S. *Credere autem? eho, an pænitet, quãdo hic fuerit vſui?* Leuiter corrigo, *quanto hic fuerit vſui.* Muſæum planè loquendi genus, pro eo quod eſt, Videtúrne tibi parum fuiſſe vtilitati & lucro. Terentius:

At enim (dices) me quantum heic operis fiat pœnitet.

M. Tullius prooemio Officiorum: *Tam diu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non pænitebit.* Exempla ſimilia paſſim obuia. Scæna Forum coquinum:

Item his diſcipulis prius cuſtodes dabo.

Non certius vixiſſe Plautum, quàm eundem ſcribſiſſe, *priuos cuſtodes dabo.* idque vincit ipſa orationis ſeries. Priui vetuſtè, qui nobis ſinguli. Lucillius:

Culcitulæ accedunt priuæ centonibu' binis.

Scæna Vox viri peſſumi.

S I. *quid lubet? pergin ructare in os mihi?* P S. *ſuauis ructus eſt mihi, ſic ſine modo.*

Poſteriora Nonius laudat, *ſic ſine ſi modo.* emaculandum ſuſpicor, *ſic ſine: i modò.* Ea enim cum faſtidio à ſe quempiam reiicientis formula eſt Comicis vſitatiſſima. Sticho:

Neſcio quid vero habeo in mundo. E P. *I modò,*
Alium conuiuam quærito in hunc diem tibi.

Eadem

Eadem Scæna paullò pòſt:

ſed Simo vt probè tactus Ballio eſt! quæ tibi dixi
Effecta reddidi. SI. *derides? peſſumus homo eſt.*

Inclinat animus credere, ſcribſiſſe poëtam, *peſſum is homo iit.* Peſſum ire, perire eſt: vt peſſum dare, perdere: & in eadem ſignificatione, peſſum premere. Moſtellaria: *Iſtum pro ſuis factis peſſumis peſſum premam.* Ducta tranſlatio eſt à re maritima: argumento eſt locus Ciſtellaria:

Maritumis moribus mecum experitur, ita meum frangit
amantem animum,
Neque, niſi quia miſer non eo peſſum, mihi vlla abeſt
Perdito pernicies.

Sine figura vſurpauit Rudente:

Nunc eam cum naui ſcilicet abiuiſſe peſſum in altum.

&, niſi admodum fallor, Moſtellaria quoque, Scæna Melius anno hoc:

Sed Simo, ita nunc ventus nauem noſtram
Deſeruit. SI. *quid eſt? quo modo peſſimè potuit*
Quæ ne ſubducta erat tuto in terram ante hac?

Lego enim, *quo modo peſſum ire potuit.* Non poteſt, inquit, vt ſubmerſa vobis nauis ſit, quam in terram dudum ſubduxiſtis. Et confirmat correctioné meam, quod ſubiicit mox Tranio:

Venit nauis noſtra quæ frangat ratem.

CAPVT V.

Hendecaſyllabi poëtæ veteris apud Iſidorum maculoſiſſimi nitori ſuo reſtituti.

FATENDVM eſt: nimium amo antiquorum hominum ingenia, multoq́ue lubentius paſco auiditatem meam relliquiis eorum quantum libet ambeſis

blattarum, &c, qui non minus infeſti iis, emendatorum dentibus; quàm luculentis cænis vbique nunc ſcripturientium. Itaq. cùm incidiſſem nuper in bellaria neſcio cuius poëtæ, temperare mihi non potui, quin vt defæcanda arbitrarer ſententiam meam delicatis conuiuatoribus proponerem. Sic igitur Iſidorus Etymologici libro XIX. cap. XXXII.

Thynius (anulus) purus eſt, primùm in Bithynia fabricatus, quam olim Thyniam vocabant. Flaccus: Lugente mea vita nec ſmaragdos beryllóſque mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quæro, nec quos thynica lima perpolibit anulos nec Iaſpius capillos.

Hos verſus cuiuſcumque ſunt: nam Flaccus ille qui laudatur irrebſit ex ipſis verſibus, & propè eſt vt cum viro docto C. Cilnij Mæcenatis in Horatium eſſe credam; ſed cuius cuius ſunt, ita emaculatos à me non peſſimè arbitror:

Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos
Beryllos neque, Flacce, nec nitentes
Semper candida quæro margaritas
Nec quos Thynica lima perpoliuit
Anellos, nec Iaſpios lapillos.

Notus mos Romanorum ponendi in luctu anulos venuſtiſſimè tangitur: hoc animaduerſo ſententia non obſcura eſt. Margaritæ nitentes ſemper candida, ſunt candidæ, vt Virgilius dixit, *Crebra ferit*, pro crebrò. Bithyniam olim dictam Thyniam, notum ex multis auctorum locis. verius tamen fortaſſe ſit, ita partem dumtaxat eius nominatam, cui rei auctor Ammianus, qui libro XXII. in Mariandenam & Thyniam eam diſtributam memoriæ prodidit.

CAPVT VI.

Obſerere beneficia, pugnos. Serere fallaciam. Bitere & bitare. Attij fragmenta aliquot correcta, & Plautus Pœnulo.

L. ATTII principis Latinæ tragœdiæ fragmenta quædam, apud Nonium corrupta, hoc capite, quod potero, redintegrabo.

In Fors & Fortuna.

Attius Andromeda. Multi iniquo mulier animo ſibi mala auferre in malis, quibus natura praua magis, quàm fors aut fortuna obfuit.

Vnius verbi vitio labat ſententia. pro auferre MS. agnoſcit, *auſere:* ídque rectum eſt. Auſi & auxi, vt ninſi & ninxi promiſcuè vetuſtiſſimi: quare hæc in ſeptenarios recolligo:

Multi iniquo, mulier, animo ſibi mala auxêre in malis,
Quîs natura praua magis quàm fors aut fortuna obſuit.

Erudita ſententia eſt, & quæ non longè abit ab Heracliti illo, ἦθος ἀνθρώπου δαίμων.

In Seges:

Idem Andromeda. Quod beneficium haud in ſterili ſegete te obeſſe intellegis.

Iunius tentat legere, *locaſſe*: ego præſtare audeo verum eſſe, *obſeſſe*. Obſerere beneficia, peruenuſtum eſt. variè enim transfertur id verbum. Plauti Menæchmis aliò:

Hiſce ego nunc ſemẽtem in ore faciã, pugnóſque obſeram.

Ita Pœnulo ſerere lites dixit, & ſerere fallaciam. ſic enim lego hos verſus, Scæna prima.

Abeamus intrò, vt Colabiſcum villicum
Hanc perdoceamus vt ſerat fallaciam.

Vulgarij libri omnes, *ferat.* inficetè. At noſtrum illud præterquam quòd vſitatiſſimum loquendi genus,

etiam iocum ex ambiguo, more Plauti, captat. de villico enim ſermo eſt.

In Gracilitudo.

Attius Amphitruone. Tamen iſta tua gracilitudo & luctus facit, ne dubitem.

Lego, *ne diu bitem*. Bitere & bitare veteribus fuiſſe quod nobis ire, nemo niſi fungus in his litteris iam neſcit. Quia, inquit, imbecillē te video quà ab animo quà à corpore non defetigabo amplius multa itione.

In Specis.

Attius Alcmæone. Quod dij interdum inferum penitus depreſſum altis clauſere ſpecis.

Suſpicor anapæſticos fuiſſe, itaque rectè à me emaculatos:

Quod dI interdiu infernum penitus
Depreſſum altis clauſere ſpecis.

Scio enim deſcenſiones iſtas heroum ad inferos ſole occaſo ſemper fuiſſe, reditusq́. ante eumdem ortum.

Capvt VII.

Tubuli. Animi angi. Pretio vincere. Cicero Verrinis aliquantis locis emendatus.

M. Tvllii his libris pauca admodum attingere decreui. alterius enim erit & temporis & loci, ſtudioſis harum litterarnm impertiri ea, quæ in optimum hunc linguæ Latinæ parentem notata habeo. Lubet tamen interſpergere nonnulla quæ guſtum quemdam ceterorum exhibeant: ſic nimirū, vt cùm

———ficos propola recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

Libro accuſationum quarto acerbè & grauiter inſectatur ſcelus Verris, qui ſuam in iudicando fidem & reo

reo & actori flagitioſiſſimè pecunia addixiſſet. *Quem, inquit, mihi tu Bulbum, quem Stalenum, quod vnquam huiuſcemodi monſtrum aut prodigium aut audiuimus aut vidimus, qui cum reo tranſigat, pòſt cum accuſatore decidat?* In quibus verbis quem dicat Bulbum neſcio, ac mea ſententia ne alij quidem vlli; nihilque certius eſt lectione libri veteris, quem mecum communicauit vir clariſſimus Io. Metellus, *Quem mihi Tubulum.* Eiuſdem pro Scauro meminit, apud Aſconium. *Si mehercule, Iudices, pro L. Tubulo dicerem, quem ex omni memoria ſceleratiſſimum & audaciſſimum fuiſſe accepimus.* Fuerunt ij Tubuli gentis Hoſtiliæ, & mentio eſt, ſi quid fortè hoc ad rem, C. Hoſtilij Tubuli proprætoris apud Liuium libro XXIX.

Ibidem paucis interiectis.

Quæ poſteaquam iſte omnia abſtulit alia rogando, alia poſcendo, alia ſumendo, ferebat Stenius vt poterat, angebatur tamen animi dolore neceſſario.

Conatus huic loco mederi Lambinus, etiam magis corrupit: ſed venuſtiſſimè idem liber, *angebatur animi neceſſario.* Sic Epidico Plautus: *Abſurdè facis qui angas te animi.* Et eadem fabula, *excruciari animi, deſipere mentis, ſermonis falli,* idem dixit.

Aliquanto inferius:

Quicumque ſenator voluerit fieri quamuis puer, quamuis indignus, quamuis ex eo loco ex quo non licêret: ſi is pretio apud iſtum fieret idoneus, vt vinceret, factum eſſe ſemper.

Et hic locus gloſſemate inquinatus, in MS. erat, *ſi is pretio apud iſtum idoneus vinceret.* Idoneus ἀρχαϊκῶς pro idoneos. hoc mutato conſtitutus locus eſt: ita paullò infrà: *Fit vt pretio nouus vincat, litteráſque à prætore auferat.* Curculione Plautus:

Si amas,

Si amas, eme, ne rogites: facito vti pretio peruincas tuo.
Aliquanto poſt:
Is quod videbat iſtius cenſum ſtare nullo modo poſſe, eum cenſum obſeruare iuſſit.

Liber ſcriptus, *iſtius cenſus ſtari.* Scribo litterula detracta, *cenſu ſtari*: hoc eſt, in iſtius cenſu perſeuerari. pro Flacco: *Prætor actionem ſe daturum negauit: re iudicata ſtari oſtendit placêre.*

CAPVT IIX.

Vita familiaris. Lubens. Lubentia. Plauti Perſa duûm locorum reſtitutio.

SCÆNA, Omnem rem inueni.
Marſupium habeat, inibi paullum præſidij,
Qui familiarem ſuam vitam oblectet modò.

Lego, *oblectet domi.* Familiarem vitam eam ait, quam domi à nemine vocatus agat: ita paraſitus Captiuis:
Neque vnquam quidquam me iuuat, quod edo domi,
Foris aliquantillum etiam quod guſto id beat.

Eadem Perſa, Scæna Hoſtibus victis.
Statuite heic lectulos, ponite heic quæ aſſolent: heic ſtatui volo primùm aquulam mihi
Vnde ego omnis hilaros, ludentis, lætificantis faciã vt fiãt.
Quorum opera hæc mihi facilia factu facta ſunt, quæ volui effieri.
Nam improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere & reddere neſcit.

Lepidiſſimi, ita me Muſæ ament, verſus; ſed perobſcurus ex iis ſecundus, ob inſolentiam formulæ, *faciam hilaros vt fiant*; elegantis tamen, & in vno Plauto locis ſexcentis obuiæ, accuſandi caſu pro nominandi poſito. Nos exemplo vno contenti erimus, Epidico:

Si in-

Si inuenio, exitiabilem ego illi faciam hunc vt ſiat diem.

Hoc primùm noto: tum leue ex eo mendum tollo. Pro *ludentis* enim reponendum haud dubiè, *lubentis:* quod conuiuij verbum proprium eſt, cùm frõte iam exporrecta iocandi & ſeſe exhilarandi cuique lubido eſt. Adelphis Terentius:

Hilarem ac lubentem fac te in nati nuptiis.

Inde Gellio lubentiæ conuiuiorum ſunt lautitiæ, & quæ vltro citro reciprocant inuitationes. lib. XV. cap. II.

Cui lubentiæ gratiæq; omnes conuiuiorum incognitæ ſunt.

Apuleius de Aſino primo: *Lectulo refoueo, cibo ſatio, poculo mulceo; iam ad lubentiam procliuis eſt ioci & ſcitum eſt cauillum.* Hinc lubentes pro lætis & hilaris, & ipſa hilaritas lubentia dicitur, Aſinaria:

Vbi ego nunc Libanum requiram aut familiarem filium;
Vt ego illos lubentiores faciam quàm lubentia eſt.

Et Sticho. *Itaque onuſtum pectus porto lætitia lubentiáq.* Cetera, vt arbitror, bene habent: hac totius loci ſententia. iubet Toxilus lectulos ſtatui, cyathos, vinum, cetera quæ aſſolent, inprimis caldam temperando vino adponi: vt lubentia & hilaritate impleat omnes, quorum opera fallaciæ ex ſententia ſucceſſerint. placere enim ſibi, vulgò quod dicitur, ingrato nihil quidquam eſſe improbius.

CAPVT IX.

Truones. Silus. In Feſto pauca animaduerſa.

APVD Feſtum in voce Stolidus verſus Ennij publicatur:

Nam vidi pugnare ſuos ſtolidi ſoliti ſunt.

Vbi in MSS. fuiſſe viri docti indicant, *vide.* Diuiſa voce re-

ce reſtituo: *Nam vi depugnare.* Apud eumdem Sentes. *Afranius Abducta. Quàm ſenticoſa verba pertorquet turba.* Mutant viri docti in, *lupa*: ego propius ſcripturæ veteris ductum, pertorquet *truo.* Truones vulgi ſcomma in enormis naſi homines. Cæcilius:

Prò dij immortales! vnde prorebſit truo?

In Silus.

Silus appellatur naſo ſurſum verſum repando.

Malo lectionem libri ſcripti Colonienſis, *naſus ſurſum verſus & repandus.* A ſilo enim denominati ſilones, vt à naſo naſones, à mento mentones, à dorſo dorſones.

Capvt x.

Videri ſcribendum ſaltim, non, vt vulgo, ſaltem. Illuſtratus Gellius libro x i i. *cap.* x i i i i.

Qværit ſcriptor Atticarum Noctium de ſignificatione & origine particulæ Saltem, & recenſet ille quidem duas opiniones hominum, vt apparet, ingenioſorum: ſed idem tamen argutias iſtas acutas quam veri ſimiles iudicat, pronuntiatque amplius. Ea de re vt certi quid ſtatuere & diffinire, temerarium; ita fortè non reprehendendum, ſententiam meam timidè & verecundè oſtẽdere, iudicium relinquere doctioribus. Semper enim ita exiſtimaui, errore fieri peruulgato & hoc tempore; vt ſic dixerim; catholico, quòd id verbi ſecunda vocali & ſcribatur & pronuncietur: cùm recta & legitima ſcriptura videatur eſſe per tertiam. Auctores habeo libros manu deſcriptos, è quîs optimus quiſque & vetuſtiſſimus agnoſcit, saltim: nonnulli etiam inductum & repoſitum quod nunc terimus habẽt. mihi ſic vſu venit; neque dubito quin & aliis. Deinde

ex hoc

ex hoc analogiam eruebam; ex illa ſignificationem. vt enim à ſupinis raptu, curſu, ſenſu,receſſu;raptim, curſim, ſenſim, receſſim: eodem planè modo deſcēdit à ſaltu, ſaltim: & vt in illis primigenia ſignificandi vis reſidet; ita eadem in hoc non obſcura eſt. Adhibetur enim in oratione,cùm ea quaſi ſaltu quodam ab iis quæ anteceſſerunt ſubitò præcipitat, & finit in extremum aliquod. Parcam adſcribere exempla. ſunt enim ſexcenta tanta in promtu, neque in iis vllum, in quo non hæc tranſiliendi ſiue tranſitionis, vt Rhetores loquuntur, vis eluceat. Quòd ſi quis neque libris acquieſcit, nec Etymologiæ concinnitati, at ille Priſcianum ſaltim audiat: qui enumerans aduerbia in EM verbum de hoc nullū,poſtea ſubdit. *In IM & denominatiua inueniuntur & verbalia & participialia: vt à parte partim, à viro viritim, à vice viciſſim, à ſtatu ſtatim, à raptu raptim, à ſaltu ſaltim & ſaltuatim.* Vbi quin intellegat, quod nos vulgamus SALTEM, dubitare nos res non patitur. Qui vetuſtatem obiiciet ſcripturæ iam inde à Gellij ætate vſitatæ, ſciat iam tum pleramque maiorum conſuetudinem quà ſcribēdi quà loquēdi mutauiſſe, id quod vel ex ipſo colligere eſt: viderique eius addubitatione errorem inualuiſſe, cùm, quod ille heſitanter poſuerat, Grammatici temere ſequerentur. indicio eſt Donatus, ſiue quis alius eſt in Adelphos Terentij: *Saltem, inquit, τὸ ἔσχατον. natum eſt autem à captiuis, ſaltem, qui nihil aliud præter ſalutem à victore petunt.* haud dubiò ex Gellij loco. Hac in ſententia magis confirmatus ſum, poſtquam probari eam ſibi mihi ſignificauit eruditiſſimus amicus meus Fr. Modius; qui etiam P. Pithœum ita in ſuis libris perſcriptam hanc vocem repperiſſe, oſtenſo eius ad Sidonium Apollinarem

narem loco, me docuit. Si quis tamen melius quid attulerit, eum libens meritò ſequar.

CAPVT XI.

Pergula. Creta in toga candidati. Inſipare. Padidum. Pomponius apud Nonium reſtitutus pluries.

ARCESSAMVS Pomponium quoque ad has κρίσεις καὶ ἰάσεις noſtras, & malè accepto ei à mutilatore Nonio ſi quid in nobis opis eſt ne denegemus. Primùm, quod adducitur in Suppilare:

Pompon. Sarcul. Alteram apportat, prodigit, patrem ſuppilat ſemper.

Haud dubiè rectè emaculo, *Alter amat, potat.* Origo mendi è diſtractione ſyllabarum, *Alteram atpotat.*

In Taxim:

Pompon. Buccon. Clandeſtino tacitus taxim perſpectaui per cantum.

Iunius in MS. inuenit, *perſpectaui periculum.* Emendo, *perculam.* Percula ſiue pergula, vt Gloſſæ explicant, ὑπερῷον σεγὸν ὄικημα. Plinius XXI. III. *L. Fuluius argentarius bello Punico ſecundo, cum corona roſacea interdiu è pergula ſua proſpexiſſe dictus, ex auctoritate ſenatus in carcerem ductus non ante finem belli emiſſus eſt.*

In Ominas.

Pomponius Cretula. Nil petituræ bene eueniat. Ita ſit, & tibi bene ſit, qui rectè ominas.

Editio vetus Veneta, *Cretula vel petituræ.* Scribo, & meo quidem animo veriſſimè, *vel Petitore.* Scribſit hanc fabulam, vt è titulo colligo, de candidato magiſtratum ambiente: ideò Petitorem inſcribſit, quod peti magiſtratus propriè dicitur; & Cretulam, quod qui petebant creta togas ſuas candefaciebant, vnde candi-

candidati ducta appellatio eſt. Præterea cognomine hanc diſtinguere voluit ab illa, quæ *Petitor Heres* inſcribitur. Iam ſententia fragmenti clara eſt, eſſe verba bene precantis candidato, & illius reſpondentis.

In Feruit.

Pompon. Fullone. Facite vt ignis feruat, ligna inſipite, far concidite.

Rectum eſt, *inſipite*. Inſipare eſt iniicere: vt obſipare, obiicere & aggerere. Plautus: *Obſipat aquulam*. Vt autem ſonare, ſonere; tonare, tonere: ita inſipare, inſipere promiſcuè inflectebant. Pomponius alibi: *Partem inſipui, concluſi, condepſui.*

In Intybos.

Pompon. Placenta. Ruſtici edunt libenter pedibus triſtes, acres intybos.

Scribo, *pædidos, triſtes*. Pædidum quod fœtet & grauis odoris eſt, vt omnes nôrunt.

CAPVT XII.

Notatum prouerbium, Oſſa atque pellis. tum Virgilius, Ouidius, Plautus emendati.

P. VIRGILII verſum Bucolico tertio libri publici ad vnum omnes ita legunt:

His certè neque amor cauſſa eſt vix oſsibus herent.

à ſententia non multum, à verborum & interpunctionis venuſtate abductum longulè. Scribo enim:

His certè (neque amor cauſſa eſt) vix oſsibus herent.

Auctor mihi perſpicuis verbis in Terẽtij Eunuchum Donatus: *Hi hice, his hiſce, nominandi caſu numero multitudinis promiſcuè vſurpabant*. His ergo hoc loco hi eſt. Poſtea trita Latinis auribus formula eſt, *amor cauſſa eſt*. Et ſic Cicero Lælio: *Valetudinem cauſſa nõn mæſti-*

tiam fuiſſe. Et reducit hic verſus mihi alterum in memoriam P. Naſonis non diſſimilis ſententiæ:

Si pata eſt, Veneri ſimilis, ſi flaua, Mineruæ;
Sit gracilis, macie quæ male viſa ſua eſt.

Emendo verſu poſteriore, *macie quæ malè niſa ſua eſt.* Vt enim Maro, vix hærere oſſibus; ita hîc Naſo, malè niti macie ſiue macilenta cute dixiſſe videtur, ſiue potius, niſi me meum fallit ſomnium, dixit; de ea, quæ, vt vetus verbum eſt, *oſſa atque pellis tota eſſet.* Vetus verbum dico, quod παροιμιωδῶς iactatum id fuiſſe in macilentos è Plauti locis duobus colligebam. Captiueis:

Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer,
Oſſa atque pellis ſum miſer à macritudine.

Ita rectè MS. Langij: malè vulgo *miſera macritudine.* Aulularia:

Volo ego ex te ſcire, qui ſit agnus curio.
EV. *Qui oſſa atque pellis totu'ſt, ita cura macet,*
Quin exta inſpicere in ſole etiam viuo licet,
Ita is pellucet quaſi laterna Pœnica.

CAPVT XIII.

Notatum item prouerbium, Vipera eſt in veprecula. Cacabus. Illuſtratus Virgilius, & Cicero pro Sextio.

EODEM Bucolico leguntur hæc ab omnibus:

Qui legitis flores & humi naſcentia fraga
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

neque tamen occultius quidquam ſubeſſe vlli interpretum ſuſpicati ſunt. Mihi numquam dubium fuit, quin poëta ad parœmiam quamdam reſpexerit, & fortaſſean eam qua vulgò ferebant, viperam eſſe in veprecula: de periculo graui & inopinato. Eum adagio-

adagionem apertè extulit Pomponius:

Dide, cedo cacatum. vipera eſt in veprecula.

Prima verba videntur mendoſa, & conabar legere, *Dide, cedo cacabum.* Cacabus enim vas in quo pulmentarium coquitur: ſed abſtineo. Reſpexiſſe autem huc Virgilium vincit, quod fragorum meminit, quæ in vepretis ferè leguntur. Significat idem verbum M. Tullius prò P. Sextio: *Quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, vt illa ex vepretis extracta nitedula remp. arroderet.* E re nata mutauit argutiſſimè. nam ſic cùm audiretur, vipera è veprecula, de eo qui & vehementer noceri poſſet, & de improuiſo, cauerique ideò vix poſſet: ille nitedulam ex vepretis appellat, qui nocêre velit magis quàm poſſit, cauerique non magnopere debeat.

CAPVT XIV.

Votitus. Tamenetſi. Nullus pro non. Caſinæ prologo verſus, item alter ipſa in fabula reſtitutus & Terentius Andria.

CASINÆ Plauti qui præponitur prologus elegans mehercule & perurbanus eſt, dignusque qui eo loco legatur. in eo verſus hic in libris paullò vetuſtioribus omnibus ita concipitur:

Aures votiuæ ſi ſunt, animum aduertite.

Primus Lambinus, vt nos credere vult, illud *votiuas* parum huc conuenire animaduertit, mutauitque in *vaciuas*, ad exemplum illud Plauti Pſeudolo:

Faxis vaciuas Pſeudole ædis aurium

Mea vt migrare dicta poßint quò volo.

à quo diſſentio. Neque enim, vt heic quidem vſurpatur, iocus acuti quidquam habet, vt illo quem modò poſui loco, adductis quæ ad eamdem tranſlationem faciunt aliis. & quorſus tandem ſi aures vaciuas

habeant non eas aduertere iubet, ſed animum; quaſi pænitêret verborum antecedentium. Itaque vide ne verius ſit:

Aures votitæ ſi ſunt animum aduertite.

Votitus qui voto quo minus quid faciat impeditur. Aſinaria:

Nolo habêre illam cauſſam & votitam dicere.

Lepidè igitur hiſtrio: ſi, inquit, votô tenemini quo minus auribus mea dicta vſurpetis, at vos animo ea vſurpate. Luſit nimirum in eo, quod immobiles homini natura aures dedit, vt eæ aduerti non poſſint: at animum aduertere vulgatiſſimum loquendi genus. hoc igitur agere eos iubet.

Eadem fabula, Scæna Si ſapitis.

Qui amat tamen hercle ſi eſurit nullum eſurit.

Immuto leuiter, ſed, quod auſim præſtare, verò:

Qui amat tamen hercle etſi eſurit, nullus eſurit.

Tamenetſi probum & antiquæ notæ verbum hîc in tmeſi cùm eſſet, propè euanuit. Id reponendum etiam in Terentio, Andria: *Nihil audio*

Ego te commotum reddam. DA. *tamenetſi hoc verum eſt.* Ita enim optimum fragmentum Colonienſe, quod in æde maxima adſeruatur. *Nullus eſurit*, pro *non eſurit* notum loquendi genus. Pomponius: *Lapathium nullus veſcebatur, lardum lurcabat libens.*

CAPVT XV.

Varronis duo fragmenta compoſita. eiuſdem Modij argumentum, & indidem ſententia adducta expreſſa de Plauto.

VERE hoc vulgo dicitur εἷμα τ' ἀνήρ, meritóque doctiſſimi viri ſemper monuerunt, fugiendam in veſtitu ineptam leuitatem. in iis togatorum eruditiſſimus

mus Varro, cuius ſuper hac re ſententiam, quæ Meleagris eius heſerat, ex Nonij duobus locis à me compoſitam huc adſcribam:

Non modò ſuris apertis, ſed penè natibus apertis ambulas: cùm etiam Thais Menandri tunicam habeat ad talos demiſſam.

Notat ſchema veſtitus noſtro ſeculo non inſolens: vbi & hoc noto, vidêri politiſſimum virum more ſuo alludere ad locum poëtæ veteris æqualis ſui, certè non multo maioris Turpilij, ex cuius Demiurgo hæc adferuntur:

Apertæ ſuræ, brachia autem procera horrorem mihi
Ex corde exſuſcitabant.

Verba ſunt, vt apparet, puellæ faſtidientis in proco & corpore enormi & deformi habitu. Itaq. ſibi eas nuptias odio ac ſenio eſſe ait, vt ex eadem hac fabula citat Nonius. Eadem de cauſſa ſcribſerat Modium, quo, vti ex fragmentis intelligimus, in victu & veſtitu reprehendit vtrumque τὸ πλέοντε καὶ τὸ ἔλαττον; probauit, id quod titulus docet, τὴν μεσότητα. Modius enim ipſi planè id eſt, quod Græcis τὸ μέσον, M. Tullio mediocritas quæ inter nimium & parum eſt. In quo libro præter cetera memorabile illud & tamquam è tripode Apollinis oraculum; *non eos optumè vixiſſe, qui diutiſſimè vixent, ſed qui modeſtiſſimè*, id eſt *modicè*. Quîs verbis poſtremis ad Plauti, vt ſolet, alluſit, Perſa:

Modicè & modeſtè meliuſt vitam viuere.

CAPVT XVI.

Euripidis Medea locus emendatus, & cum ſimili Ciceronis compoſitus.

EVRIPIDIS Medea primore ſtatim fabula ita

alloquitur puerorum regiorum magiſter eorumdem alumnam anum.

τίς δ' οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις τόδε
ὅς πᾶς τις αὐτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

Cùm illa queſta eſſet Iaſonem beniuolentiæ & pietatis in ſuos parum meminiſſe; ſubiiciens hic, quis tandem, inquit, non idem factitat? iam intellegis verum eſſe vulgò quod dici ſolet,

Omnes ſibi eſſe melius malle, quàm alteri.

Sic enim verſum poſteriorem interpretatus eſt Terentius, vt rectè vidit eruditiſſimus Victorius: idémque præclarè priorem ita vt nos ſcribſimus laudat, à ſcholiaſte admonitus, cùm vulgò aliter legatur. Subiicit deinde ille apud Euripidem cauſſarum quaſi contentionem, quîs inducti amicos ſibi plerique poſtponant:

οἱ μὲν δικαίως, οἱ δὲ καὶ κέρδους χάριν,
εἰ τούσδε γ' εὐνῆς οὕνεκ' οὐ στέργει πατήρ.

Quorum verſuum priore difficile eſt vt depellar de ſententia iamdudum ſuſcepta, legendum videri, *οἱ μὲν διὰ κλέος*. Primùm vicinitatem litterarum mihi quis cõſideret, & is maximè qui librariorum & compendia & ductum ex libris manuſcriptis nouit: tum ipſam ré putet. Hoc enim, opinor, vulgata lectio ſonat, minùs multos quàm debêt amare, partim iuſtè, partim auaritia impulſos. quod & falſum & ineptum eſt. Falſum, quia ſi philoſophos audias, vix vnquã te magis amabis amico, vt ius amicitiæ non migres. ineptum; quòd potius opponendi fuiſſent ij qui iniuſtè deſererent amicos, iis qui iuſtè; quàm qui auariter. At noſtrum hoc quod reponimus huic loco aptiſſimum. alij, inquit, ambitione acti ſe amicis antepo-

nunt,

nunt, nonnulli etiam turpis lucri cupidine: ne tu id tam iniquè feras, ſi ſui amoris cauſſa pater liberos neglegit. Ponit eadem M. Tullius Lælio, vt quoſdam ſcopulos, ad quos multæ multorum amicitiæ faciant naufragium. Sin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent, dirimi tamen interdum contentione vel vxoriæ conditionis, vel commodi alicuius quod idem vterque adipiſci non poſſet. quod ſi qui longius in amicitia prouecti eſſent, tamen ſæpè labefactari, ſi in honoris contentionē incidiſſent. Quem ad hunc ipſum Euripidis locum reſpexiſſe valdè ſuſpicor: ita eadem omnia vtrobique poſita, quæ beniuolētiæ reſcindundæ ſint; ambitio, auaritia, vxoria condicio.

CAPVT XVII.

Paccuuij verſus aliquot compoſiti de coniectura, & correcti.

NONIVS in Senium ex Paccuuij Peribœa hæc adducit:

Parum eſt quod te ætas malè habet, ni etiam hic ad malam ætatem cruciatum adiungas reticenti.

Heic nemo non videt, mediocriter doctus ſaltim, litterulam fugitiuam vocis poſtremæ reprehēdendam, vt fiat, *reticentia*. Illud fortaſſe non item, videri hæc adheſiſſe aliis aliquot verſibus, quos malè diuulſos ex Nonij locis quattuor ita compello, vt ſic dicam, iterum & compono.

SE. *Lapit cor cura, ærumna corpus conficit.*
N. *Parum eſt, quod te ætas malè habet, ni etiam hic ad malam*
Ætatem cruciatum adiungas reticentia?
Ecfare, quæ cor tuum timiditas territat?
SE. *Mane, expedibo actutū: ibi quod cōtrà rogo: Reſpōdeas.*

Certè ſententia examuſſim quadrat, & vt non ita olim coheſerint, vtilius tamen heic legentur coniunctè, quàm diuulsè apud Nonium, in Senium, Lapit, Timor, Expedibo.

Idem, Accuſatiuus pro Genitiuo.

Pacuuius Peribœa. Regnum imperator, æternum morum ſator.

Lego, *Regum imperator, æternûm mœrûm ſator.* Mœrus pro murus iam tralatitium. Eſt precationis ad Iouem initium: vt liquet ex his quæ ab eodem Grammatico conſeruata non longè à ſuperioribus heſiſſe videntur:

———veniam precor,
Petens, vt quæ egi, ago, axim verruncent benè.

Vicem mantiſæ, vt antiqui loquebantur, adiiciam, ad hæc Paccuuij quæ ex eodem dramate laudantur à Nonio:

Nam me perbitered, illis opitularier
Quouis exitio cupio, dum proſim modò.

vidêri reſpexiſſe Terentiũ, cùm illa ſcriberet Andria:

Ego Pamphile hoc tibi pro ſeruitio debeo,
Conari manibus pedibus noctéſque & dies,
Capitis periclum adire, dum proſim tibi.

CAPVT XIIX.

Vocare. Vocationes. Emendatus Eunucho Terentius bis, Sticho Plautus ſemel.

TERENTII Eunucho quod vulgatur,

Te mihi patronam cupio Thais, te obſecro.

rectius in MSS. eſt, & libris melioribus, *capio*. Vetus enim mos Romanorum tangitur. è plebe homines inſtituto Romuli, quos vellent è patriciis patronos capie-

capiebant; quorum præſidio & opibus tuti eſſent: neque fas erat à patrono clientem deſeri. auctor Dionyſius hiſtoriarum ſecundo. Vel igitur huc reſpexit, vel vrbanius etiam Chærea patronã capit tamquam nouus libertus eius, cuius ſe paullò antè ſeruum geſſerat. Eadem fabula:

Quæ cum amatore ſuo cùm cænant, ligurriunt,
Harum vidêre inluuiem, ſordes, inopiam.

Et heic veriſſimè fragmentum Colonienſe, *Quæ quom amatores vocant, ligurriunt.* Vocare Latinè dici, quod nos vulgò inuitare notũ eſt. in eo emendandus Plautus Sticho:

Sed generi noſtro hæc reddita eſt benignitas,
Nulli negare ſoleo, ſi quis me vocat.

Libri omnes *ſi quis me eſum vocat*: ſed iſtud, eſum, irrebſiſſe è gloſſa vel verſus arguit, cui nequiquam medêri conatus eſt Lambinus. Hinc Catullo vocationes:

Vos conuiuia lautiora læti
De die facitis, mei ſodales
Quærunt in triuio vocationes.

eædemque Iuſtino lib. XXXVII. *Hieme deinde imminente non in conuiuio ſed in campo, non in vocationibus ſed in exercitationibus, nec inter ſodales ſed inter æquales aut equo aut curſu aut viribus contendebat.* Ita enim iſthic legendum amiciſſimus mihi, flos Germaniæ, Palmerius me monuit, cùm publicetur ineptè *vacationibus* aut *aduocationibus*. Neque verò in loco Terentij me mouent, mutili iſti centones, qui Donati nomen præferunt quòd diſſentire videntur. Quis enim non videt ineptiſſima illis ſæpe à neſcio qua mala manu adſuta? & hîc quidem lectionem vulgatã interpretationem eſſe eius, quod ego repoſui. Neque verſus lababit,

ſi τὸ *quom* neque elices & produces· more veterum, qui & conſonandi D ſyllabæ extendēdæ adiiciebant.

CAPVT XIX.

Aucupare. Quo pro quod. Threces. M. Varro De lingua Latina quarto libro correctus: item Cæcilius.

ERVDITE M. Varro, vt omnia, libro De lingua Latina quarto, verborum origines ait aut vulgarias eſſe & populo quoque non planè incognitas; aut Grammaticas, quæ occultiores; aut denique philoſophicas & Stoicas, quo difficillimè atque adeò vix perueniri poſſit. Itaque ſe ex opinione magis quàm certa ſcientia de iis tradi turum profitetur. *Quartus,* inquit, *vbi aditus & initia, regis: quo ſi nō perueniam ſcientiam ad opinionem aucupabor. quod etiam nonnumquam in ſalute noſtra facit cùm ægrotamus medicus.* Vbi ſententia multò illuſtrior & fortean locus conſtitutus erit, ſi legeris: *quo ſi non peruenero ſcientia, at opinione aucupabor.* Mendi occaſio fuit in AD quarta littera perſcripto. Aucupari aliquid pro inueſtigare Latinis vſitatiſſimum. Plautus Milite:

Viden tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus?

Ita Cæcilio aucupari argētum, eſt anquirere & in inueniundo eo ſatagere. Sic enim lego ἀρπαζομένῃ apud Donatum in Eunuchum Terentij:

——— Quid tibi aucupatio eſt
Argentum? aut de meo amore verbiſicatio
Patri.

malè vulgò, *argumentum.* Senſiſſe autem quod poſuimus Varronem indicant quæ non multò pòſt ſequuntur: *De noſtris dicam, cur ſint: de alienis, vnde ſint; de obli-*

de obliuiis relinquam. quorum partim, quò ita inuenerim, ita relinquam, ſcribam. Sic enim ex MSS. iſthic ſcribendum, & *quò* poſitum pro *quod*: idque ſæpius quàm quiſquam ſuſpicatus hactenus eſt, factū nos alibi docemus. Eodem Varronis libro Ennij verſus laudatur:

O terra trita, vbi Liberi fanum in ciuium muro locaui.

mendosè, quis non videt? ſed corrigendum cenſeo:

O terra Threca, vbi Liberi fanum inclutum locaui.

Prius à libris, & notum eſt *Threcas* in MSS. eſſe, quos nos malè mea ſententia *Thracas* vulgamus: alterum ex eorumdem veſtigiis: habent enim, *in ciuium.* vnde factum, vt alij ſententiæ ſupplendæ adiecerint, *muro*: quod hîc tam conuenit, quàm in tragœdia ſoccus. At conſtat religioſiſſimè Bacchi orgia apud Threcas celebrata, eáque de re pleni veterum libri, ne à me exempla exſpectes.

CAPVT XX.

Præſidium pro viatico. Emendata Plauti Pœnulus.

PLAVTI Pœnulo in illa affabrè adornata fallacia, qua leno in plagas Agoraſtoclis compulſus eſt, hi verſus leguntur. Scæna, Iam iſthuc ego reuortar.

Immo vt ipſe nobis dixit, quo accures magis,
Trecentos numos Philippeos portat, præ ſibi.

De ſubornato illo Spartiata ſermo eſt, quem aiunt vnde nequam faciat aurum habere. Sed inibi quid ſibi volunt obſecro iſta, *præ ſibi?* nam ego quidem iuxta cum ignariſſimis ſcio. Vide tamen ſi commodè in mentem venit, malè diſſiluiſſe ſyllabas, ſcribendumque eſſe:

Trecentos numos Philippeos portat præſidij.

Præſidium eleganter pro commeatu ſiue viatico poſuit,

ſuit, quod fami arcendæ ſit: vt & Sticho:

Cynicum eſſe egentem oportet paraſitum probè
Ampullam, ſtrigilem; ſcaphium, ſoccos, pallium
Marſupium habeat, inibi paullum præſidI,
Qui familiarem ſuam vitam oblectet domi.

Portare igitur numos præſidij, eſt in comeatum & ſumtum ſecum ferre. Eadem fabula, Scæna Satis ſpectatum eſt.

Ibo intrò, hæc vt meo hero memorem. nam huc ſi ante ædis ſeuocem.

Corrige, *ante ædis euocem.* Paucis pòſt verſibus:

Nam & hoc nocte conſulendũ, quod modò concreditũ eſt.

Mirum, fugiſſe pleroſque leuiſſimum mendum: lege, *Nam & hoc doctè conſulendum.* Nihil huc nox facit, & docta conſilia, docta dicta, docti doli, ſemper Comicis in ore & ſermonibus.

Caput XXI.

Pecua præcia. Præciæ. Species luminis. Specere. Attij fragmenta multoties emaculata apud Nonium.

E naufragio ſcriptorũ L. Attij quaſi tabulas quaſdam collegenti mihi in manus venerunt vitioſę quædam & hiantes, quas reſarcire conatus ſum, bene an ſecus alij viderint.

Nonius in Pecua.

Attius Diomede. Paſſim quæ præda pecua balabant agris. Fortaſſean corrigendum, *Paſſimq; præcia pecua.* Præcia à præciendo, quòd clamore & balatu paſtorem antecedant. certè eodem modo Præciæ dicti tamquam proclamatores quidam, qui Flamines antecedebant, & clamore opus fieri prohibebant: de quibus vide Feſtum.

In No-

In Nobilis.

Att. Diom. Me Argos referam, nam hic ſuam nobilis, ne cui cognoſcar noto.

è Feſto & litterarum ductu reſtituo, *Ego me Argos referam. nam hîc cluo iam gnobilis.* In Inſolens.

Attius Diom. Ita è fletu & tenebris obſtinatius ſpeciem amiſsi luminis Conſpiciunt inſolentiam.

Propius germanam ſcripturam editio Nonij vetus Veneta; è qua, eiecto dumtaxat E, ſcribo: *Ita fletu & tenebris obſtinatus ſpeciem amiſi luminis.* Speciem luminis dixit pereleganter pro viſu. Specere enim & ſpicere antiquè vidêre eſt. In Exanclare:

Attius Diom. Ferè exanclauimus tyranni ingenium ſæuum & exſecrabile.

ſcribendum, *Feri:* vt ad tyrannum referatur.

In Cauſſari.

Attius Medea. Qui potis eſt repelli quiſquam, vbi nullus eſt cauſſandi locus.

verum eſt, *refelli,* arguta ſententia. Nemo, ait, conuincitur, cui ſui purgandi poteſtas non datur.

In Tabificabile.

Attius Medea. Par neci orbificor liberorum letho & tabificabili.

emendo, *Pernici orbificor.* In Aucupaui.

Idem Medea. Ego me extollo in abietem, altè ex tuto proſpectans aucupo.

rectius eſſe opinor, *proſpectum aucupo.* Exempla ſupra poſui, & alia vbique obuia.

CAPVT XXII.

Aui aduerſa. Ilij. Addubitatum de Plauti verſu Bacchidibus: alius indidem emendatus.

SCÆNA, Iamdudum Piſtoclêre.

Quo

Quo nunc capeſſis tete hinc aduerſa via
Cum tanta pompa?

An hîc aduerſa via, quam infeliciter & diis tuis iratis ingreſſus ſis? an verius eſt, *auerſa via.* Vt ſignificet, quod explicauit pluribus Aſinaria, ſic:

———hac quidem non venit, angiporto
Illac per hortum circuit clam, ne qui ſe videret.

Sed inclinat animus credere, fuiſſe olim:

Quo nunc capeſſis teted hinc aduerſa aui.

ob ea quæ antecedunt: ea verò quæ publicantur fulciendo verſui videntur excogitata. Aduerſa auis eſt altera & ominis mali. Poëta vetus apud Ciceronem:

Soluere imperat ſecundo rumore atque aduerſa aui.

Scæna, Atridæ duo.

In dolis ego deprenſus ſum, ille mendicans penè inuentus interiit.
Dum ibi exquirit fata illorum. aſſimiliter mihi hodie obtigit.

Res eſt non coniectura, *fata Iliorum*, Ilij pro Ilienſibus de quorum fatis hîc agit. Sic poëta neſcio quis, *Ilius Hector.*

CAPVT XXIII.

Mos antiquus in nuptiis. Mutinus Titinus. Mutinum, Muto. Mutoniatus. Præſidêre. Correctùs Lactantius, & locis duobus Lucillius.

MIRA ſuperſtitio fuit veterum in omnium rerum primitiis diis ſuis conſecrandis. Et vide ſodes ineptias, & ride. etiam noua nupta, prius quàm ad maritum deduceretur, obſcæni Dei in ſinum locabatur; vt hic quoque iure ſuo pudicitiam eius prælibandi

bandi fruſtrari ne videretur: auctor Lactantius diuinarum Inſtitutionum primo. *Et Tutinus, in cuius ſinu pudendo nubentes præſident, vt earum pudicitiam prior deus prælibaſſe videatur.* Emendo, *Mutinus*, ſiue mauis, *Titinus*. Tutinus deus quod equidem ſciam necdum natus eſt, & nihil huc facit ſiue Tutilinus ſiue Tutanus, quîs tuendi noſtri, ſi credimus, cura eſt. Mutinus autem Latio, qui Græciæ Priapus, teſte Diuo Auguſtino: idemque Feſto Mutinus Titinus dicitur. Faciebant illi ſacra velatæ, vnde nuptæ dicuntur; & in togis prætextis, vnde, quia dum porro ita deducerentur ad maritum acclamabantur feſcennini in dicterium abierunt verba nupta & prætextata pro liberis & obſcænis. Ab hoc Mutino & in nobis id quo ſumus mutinum dicimus, & mutones ſiue mutoniatos bene vaſatos, & quibus peculium, iſtud dico virile, calamitas non attigit. Manauit exinde latius, vt iaceretur in quemuis impurum. Lucillius:

Et mutoni manum perſcribere poſſe tagacem.

Idem verbum reponendum ſuſpicor duobus eiuſdem Lucilij locis apud Nonium. primùm in Senium:

In numero quorum nunc primu' Trebelliu' multo
Obmarceſcebat, febris, ſenium, vomitus, pus.

malim, *Trebelliu' muto.* quamquam vulgatum illud defendi poſſe non negem: vt & in Nebulo:

Nugator quidam ac nebulo ſit maximu' multò.

Legebam tamen, *ſet maximu' muto.* Rectè autem in Lactantio eſt, *præſident.* Præſidêre enim verbum in caſto operantium proprium: in eo more ſuo ex ambiguo luſit Plautus Moſtellaria:

Ego interim hanc aram occupabo. TH. *quid ita?* TR. *nullam rem ſapis.*

Ne enim

Ne enim illi confugere huc poſſint, quæſtioni quos dabit,
Hic ego tibi præſidebo : ne interbitet quæſtio.

CAPVT XXIV.

Plauti Stichus emendata locis duobus, vno Trinumus. item Titinnius leniter.

STICHO, Scæna Mercurius Iouis:

Heram ex mærore eximam, benefacta maiorum meûm
Exaugeam, atque illam augeã ex inſperato à portu modo.

Verba poſtrema vitij manifeſta ſunt: emendo, *ex inſperato à portu bono:* vel, ſi mauis litterarum ductum ſequi, *ob portum bono.* Bonum ob portum eſt quod in portu eſt. Ob enim antiquè ſignificat ad. Ennius:

Ob Romam noctu legiones ducere cœpit.

Ad autem in loco motum ſæpe ſignificat, Rudente:

Neque quiui lenonem ad portum prehendere.

Alterum tamen magis probant, quæ infra ſequuntur Dinacij verba:

———ita celeri iui curriclo
Properè à portu tui honoris cauſſa. P A. *ecquid apportas boni?*

Mox, Eadem Scæna:

Commodum radioſus ſol eſſe ſuperabat è mari.

Rectum opinor eſſe, *ſol ſeſe ſuperabat è mari.* Superabat pro tollebat ἐνεργητικῶς ἀρχαϊσμῷ. Ita penetrare ſe in domum idem Plautus, emigrare ſe ædibus dixit Titinnius. ſic enim eius verſum emendo apud Nonium in Senium: ———*quot peſtes, iurgia, ſenia,*
Seſemet hiſced emigrârunt ædibus.

Et plurimis locis apud Plautum ſeſe & eſſe loco ſe inuicem mouerunt. ita quod editur Trinumo ſcæna prima:

Indignum

Indignum ciuitate hac eſſe viuere,
nemo dubitabit, ſaltim non imperitiſſimus, rectè à me emaculatum,
Indignum ciuitate ac ſeſe viuere.

CAPVT XXV.

M. Varro quinto De lingua Latina emendatus.

MIRVM eſt quantulum mendum quantas ſæpe tenebras in bonos libros inuehat. vel hunc locum M. Varronis libro De lingua Latina quinto quis hactenus intellexit? *Nam Flamen Dialis auſpicatur vindemiam & vt iuſſit vinum legere, agna Ioui facit: inter cuius exta & porrecta Flamen prorſus vinum legit.* Omnes certè ante me ita acceperunt iuſſiſſe Flaminem vinum legi, tum agna Ioui feciſſe: quo nihil à ſententia Varronis alienius, & manifeſtò arguunt vanitatem ſequentia. Sed vide leuiſſimam erroris cauſſam: ſyllabæ duæ coaluerunt, quibus diuiſis non meridie clarior lux eſt, quàm huius loci ſententia. Lego, *& vt ius ſit vinum legere.* Vt liceat, inquit, & ius fasque ſit vinum legere, flamen Dialis agna Ioui facit; tum ipſe inter exta erectus vindemiam auſpicatur.

VERISIMILIVM
LIBER SECVNDVS.

Capvt I.

Lucillij Saturæ XXX. *quod videatur fuiſſe argumentum. in eam rem complures ex ea verſus adducti, & de coniectura compoſiti, correcti.*

LVcillii pleraq. omnia maiorum incuria intercidiſſe valdè mihi indignum videri ſolet. Mitto hominem fuiſſe eruditiſſimum & linguæ Latinæ ſciẽtiſſimum, quod Fabio & Gellio; primùm ſtyli naſum condidiſſe, quod Plinio maiori; ſcripta eius vnicum apud Latinos χαρακτῆρος ἰχνῦ exemplum eſſe, quod M. Varroni viſum fuit: quanti tandem illud putandum? vitiorum inſectatorem acerrimum fuiſſe, quod vno omnes ore loquuntur. Habêret in quo ſe tamquam in ſpeculo contemplaretur hæc ætas virtutum inanis, vitiorum fertiliſſima. De me, facio quod poſſum, aiunt, quando quod volo non licet. Fragmenta quæ comparent in rutis cæſis Grammaticorum ſublego, mendoſa emaculo, diuulſa compono, atque ex illis librorum quoque ipſorum argumenta, quod poteſt, ariolor. Id an adſecutus ſim libro Saturarum XXX, doctorum erit arbitrari; ego quid me obſeruaſſe mihi perſuaſerim proponam. Cenſeo enim bonam partem conſumtum in maritum inſectandis miſeriis, quos ait vxorum illecebris captiuos teneri. ſic enim

cohefiſſe

coheſiſſe coniiciebam verſus, qui hoc docent.

Atque illud quoque mite malum blandum atque iocoſum;
Si laqueis manicis, pedicis mens irretita eſt,
Præſternit labra deliciis, delenit amore.

Tum eoſdem legibus coërceri ait, vt res ſuas ſeparatas habeant, vt mundum muliebrem & ſupellectilem domeſticam affatim ſuppeditent, vt terra mari vel cum capitis periculo rem faciant. Huc enim ſpectant illa,

Accipiunt leges, populus quibu' legibus expers,
Hoc miſſum facies, illo me vtere libente.

& hæc paullò vel antè vel poſterius (quis enim certum adfirmet in re tam incerta?) poſita:

———curabi' domi ſint
Gerdius, ancillæ, pueri, zonariu', textor
Euplocamo digitis diſcerniculúmque capillo:
Culcitulæ accedant binæ centonibu' priuis
Omnia alia, in quibus efferimur rebus: ne ego multis
Eloquar.

Eodem referundum arbitror hoc viri ad obiurgantem coniugem, vt ſuſpicor, reſponſum à Nonio, vti & priora, diuulſum.

Id'que tuis ſæuis dictis ac triſtibu' factis
Hæc tû me inſimulas? non ne antè in corde volutas
Quid dare, quid ſumti facere & præſtare potiſſim.

Denique & has de itineribus & periculis maritorum diſiectas in Noniano pelago tabulas & à me neſcio quàm rectè, certè non inconuenienter, comparatas iterum & tamquam conglutinatas:

———ſe conficit ipſe coméſtque
Vir, mare metitur magnum, ſe fluctibu' tradit.
Continuò ſimulac paullò vehementius auræ
Inflârit fluctus, erexerit, extuleritque,

Omnia endo mari videas feruente micare.

At bonas matresfamilias interim deſidia ſua & crebris ad amicas; ſiue amici ſunt; itionibus rem mariti conteri & dilabi pati idem adfirmat. Sic enim coagmento hos verſus:

At cùm iter eſt aliquò, & cauſſam commenta viauit,
Aut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam,
Aut operata aliquo in celebri cum æqualibu' fano;
Lanæ opus omne perit, pallor, tineæ omnia cædunt.

Quin adiicit, vltrò illas inclamatas quiritare & culpam defendere:

Quid tu iſthic curas vbi ego oblinar atque voluter?
Quid ſeruas quò eam? quid agam? quid id attinet ad te?
Túne iugo iungas me ante & ſuccedere aratro
Inuitam, & glebas ſubigas proſcindere ferro?

Itaque eodem hoc libro idem Lucillius contendit muliebre ingeniũ cum leonis decrepiti luſtro, quod cata illa & vafra vulpecula ſubire noluit; cùm videret veſtigia ferarum quæ ſe intrò penetrauerãt prorſus ferri omnia, rurſus nulla: quem locum eruditiſſimi poëtæ, à Platone ſumtum, Horatius vt multa alia æmulatus ad æſtus populi & reipub. motus trãſtulit:

Quòd ſi me populus Romanus fortè roget, cur
Non vt porticibus ſic iudiciis fruar hiſdem,
Nec ſequar aut fugiam quæ diligit ipſe vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam: quia me veſtigia terrent,
Omnia te aduorſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Eumdem apologum in Lucillio fuiſſe narrarunt mihi aliquot indidẽ relliquiæ; ſed ita malè perciſo ore, vt è balbis eximi non poſſint. eas ſparſim ſubiiciam.

* * *leonem Aegrotum ac laſſum.*

* *

Qui

Qui non ſpectandi ſtudio, ſed omini' tetri
Impulſu ingreſſus.

Ita enim emendo, quæ publicantur. *Q. n. exſpectans ſpectandi ſtudio, ſed hominis:* perſpicuè falsò. De vulpe virili genere, more ſui ſeculi, loquitur.

* *

Et ſua perciperet retro rellicta iacêre

* *

Deducta ad hunc voce leo. cur tu ipſa venire
Non vis huc.

Verba leonis, in quibus emaculandis iam olim incidi cum amico meo. Nonius: *Deductum, diminutum, ſuppreſſum.* rectè, & talis vox ægrotorum & ſenum. Sic Virgilio deductum carmen eſt humile & depreſſum, quale bucolicum: non, vt idem ille Grammaticus malè explicat, molle & ſuaue.

* *

Quid ſibi volt? quare fit? vt intrò, verſus & ad te
Spectent, atque ferant veſtigia, & omnia prorſus.

Vulpeculæ verba ſentientis leonis ſimulationem, vt ſcribſi diſtinguenda: ad quæ ille, vt videtur fidei faciendæ cauſſa, reſpondet:

Triſtem & corruptum ſcabie & porrigini' plenum
Hic in ſtercore, humi, ſabuliśq; fimo atque ſucerda
Inſulta miſerum te quoque in me.

Vbi notabis exemplum tmeſeos Lucillianæ, de qua Auſonius, verſu vltimo. Inſultate enim coniungendum eſt: vt paullò antè dixit, *verſus & ad te:* pro quo Horatius, *te aduerſus.* Concluſiſſe apologum videtur ita, vt muliebre malum adfirmaret blandius quidem eſſe, ſed eo ipſo maius & propius perniciem. Ita enim hæc expono:

Improbior multò, quàm de quo diximus antè,

Quantò blandior, hoc tanto vehementiu' mordet.

Poſtremò addam, videri mihi occaſionem huic Saturæ ſcribendæ Lucillio dediſſe neſcio quem conuiciatorem, cui reponere hoc pacto voluerit, vt eum nupſiſſe vxori oſtenderet: tum in vniuerſum ſexum ϑηλυκῶς, vt fit, incurriſſe. Vnde id imbiberim ſuſpicari, adiiciam (ſemel enim qui pudorem migrarit; nauiter, aiunt, impudentem eſſe oportet) ſutelam aliquot verſuum meam.

Nunc Cai quoniam incilans nos lædi' viciſſim,
Et maledicendo multis ſermonibu' differs
Quum ſcis ſcire tuas omnis maculáſque notáſque,
Summatim tamen experiar reſcribere paucis,
Quantas quóque modo ærumnas quantóſque labores
Exanclâris; vti pecudem te vt denique naſci
Præſtiterit aſinum.

In quîs, vt ſubtilis eſt imperitia, etiam nomen me mouebat Caij. Notum enim illud in nuptiis ſollemne, Vbi tu Caius, ego Caia.

CAPVT II.

Manſum ex ore dare, prouerbium. Oreæ. Culpæ. Eadem Satura emendatus Lucillius.

LVBET etiam num ex eodẽ libro paucula quædam malè affecta, quod nobis dij opis dabunt, perſanare. Nonius Manſum.

Lucillius lib. XXX. *Sperans ætatem eandem hæc proferre poßet* ✶ *manſum ex ore daturum.*

Neſcio an deſit quippiam, vbi aſteriſcum collocauimus. Certè priora liquet mihi aſſeuerare rectè à me in verſum hexametrum repoſita, *Sperans ætatem eadem hæc perferre poteſſe,* & *manſum ex ore daturum.* Vbi

nobis

nobis prouerbium, quod etiam nunc in frequenti vſu eſt, manſum ex ore dare.

Idem, Rumpere.

Lucil. x x x. *Quæ quondam populi oris, aures, pectora rumpit.*

Rectum eſt, *populi oreas*. Oreæ frenos ſignificat & labia; vt hîc & apud Næuium: Deprandi autem leonis obdas oreas. de re periculoſa. Lucillius, vt apparet, de re ita peruagata loquitur, vt vulgò nihil aut loquerentur aliud aut audirent, aut cogitarent.

In Bonus.

Lucil. x x x. *Caluus Palantino quidam vir nobilis bonus bello.*

Emendo, *Palatina*. nota formula eſt, & ſic Cicero: *Verres Romilia*, ſubintellige tribu. Hoc primum: deinde verſum moneo μείουρον ἢ πελείαμβον eſſe, quos exemplo Græcorum nonnumquam interiiciebant Latini vetuſtiſſimi. Liuius:

Dirige odoriſequos ad cæca cubilia canes.

Poſtremò iſtud bellè ſententiæ explendæ adiectum videri à Nonio ex hoc verſu qui ex eodem libro adducitur in Sæuum.

Et ſæuo & duro in bello multò optimus hoſtis.

Fallacia fallaciam trudit, aiunt: ita coniectura coniecturam. & hîc poſtremam vocem mutandum cenſeo in *haſtis*. Itaque hos verſus coniungo:

Caluu' Palatina quidam vir nobili' bonus,
Et ſæuo & duro in bello multò optimus haſtis.

In Hilum.

Lucillius x x x. *Quódque tuas laudes culpas non proficis hilum.*

Benè habet verſus, & nugantur qui mutant. Culpæ in quouis ſcriptore loca deculpata, vt ait Gellius, &

quibus meritò criticus theta præfigat. Auſonius:

In'que tuis culpis tu tibi da veniam.

Taxat neſcio quem poëtam, cui ſeſe adeò præfert, vt ſua poëmata tantum teri affirmet hoc verſu,

Et ſola è multis nunc noſtra poëmata ferri.

CAPVT III.

Tagere. Tagaces. Peruenari. Truculentus Plauti correcta.

BELLE ludit ancillula Truculento in adoleſcentum rapacitatem, Scæna Ad fores auſcultate: ſed inibi non bene legitur,

Vnus eorum aliquis oſculum amicæ vſque oggerit,
Dum illi agant.

Malim enim, *Dum illi tagant*. Tagere ſiue tangere argento circumducere & furari eſt. Milite: *Tetigit calicem clanculum*. Epidico: *Iſtis adeò te tetigi triginta minis*. Hinc tagaces Lucillio furaces. Hoc ergo ait, quoſdam congerronum amicæ; alios interibi rapinæ operam ſedulò dare. Scæna, Num tibi nam amabo.

——mater ancillas iubet
Quoniam iam decumus menſis aduentat propè
Aliam aliorſum ire, præmandare, & quærere
Puerum aut puellam.

Nihil ad ſententiam, *præmandare*. Emendationem tamen non extrico: niſi fortè ſcribſit Plautus:

Aliam aliorſum ire peruenari & quærere.

Certè id verbum huic loco aptiſſimum, & vſus eo eſt Mercatore,

Defeſſus ſum vrbem totam peruenarier.

Ibidem paullò pòſt:

Eum nunc non illa peperit, quæ peperit prior;
Sed tu poſterior. PH. omnem rem tenes.

verſu

verſu poſteriore numeri non pleni ſunt, & mea ſententia nihil certius quàm excidiſſe hinc ob ſimilitudinem litterarum voculam, ſcribendumque eſſe,

Sed tu poſterior. P H.*ordine omnem rem tenes.*

Scæna Ne exſpectetis.

———adduce huc tu iſtas: ſed iſtæ reginæ domi
Suæ fuere ambæ: verùm patriam ego excidi manu.
Iis te dono. pænitet ne te quod ancillas iam?
P H. *Quin etiam ne inſuper adducas quæ mihi comedint cibum.*

Locus & à perſonarum collocatione & à verbis corruptus. Docet vtrumque Donatus, qui ſimillima ait hæc Terentij Eunucho:

An pænitebat flagitij te auctore quod feciſſet
Adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam indicares patri?

tum Plauti verba laudat; ſed, vt nunc in libris eſt, corruptiſſimè: nos veſtigiis, quàm potuit, proximè inherentes ita reſtituimus.

Iis te dono. P H. *pœnitet ne te, quòd ancillas olas alam,*
Ni inſuper etiam adducas, quæ mihi comedint cibum?

Cùm faſtidiret miles in commendandi munere, meretricula callidè eiuſdem eleuandi; an, inquit, parum tibi videtur, familiam tantam, quam vides, alere? niſi adducas mihi etiam plures, quæ rem meam deuorent. Ita ſcribſiſſe Plautum, aut certè proximè, vt ego taceam, res loquitur.

CAPVT IV.

Exante. Inante. Inſuper habere. Supereſſe pro defendere. Emendatus Appuleius & de Oratore Cicero.

NON grauabor ex Appuleio quoque maculas aliquot tollere, ſcriptore ſupra vulgi opinionem bono,

 & per-

& perſtudioſo vetuſtæ & germanæ Latinitatis; tamen etſi affectata in illo, & à pedeſtri ſtylo abhorrentia, multa. Sed ſcitum eſt Athenæi illud τοὺς ἀλμυροὺς λόγους δεῖν γλυκέσιν ἀποκλύζεσθαι νάμασιν. Libro primo Mileſiarum, ſiue de Aſino aureo hæc notabam.

Et tamen Athenis proximè & ante Pœcilen porticum iſto gemino obtutu circulatorem aſpexi equeſtrem ſpatham præacutam mucrone infeſto deuoraſſe.

Suſpicor corrigendum, *Exante Pœcilen porticum. Exante* vetuſtè, pro *ante:* vt Propertio *inante: Hic dominam exemplo ponat inante meam.* Ibidem:

Hic qui meis amoribus ſubterhabitis, non ſolum me diffamat probris, verum etiam fugam inſtruit.

Legendum, *meis amoribus inſuper-habitis.* Inſuperhabêre eſt neglegere, contemnere: vſus eo verbo Papinianus I. C. in Pandectis bis, item Gellius & ipſe Appuleius alibi. Huic contrarium eſt ſupereſſe, pro auxilio eſſe & defendere. nam malè Gellius ita Latinè nos loqui poſſe negat: & rectè Palmerius noſter adductis in medium exemplis aliquot contrà tendit. de quo ne dubitari poſſit vlterius, teſtem adducam, quem numquam ita impudens erit vt reiicere audeat Gellius, M. Ciceronem libro primo De Oratore. *Equidem*, inquit, *propinquum noſtrum P. Craſſum illum diuitem cùm multis aliis in rebus elegantem hominem & ornatum, tùm præcipuè in hoc efferendum & laudandum puto, quòd cùm Scæuulæ frater eſſet, ſolitus eſt ei perſæpe dicere*, &c. Quo in loco poſtrema verba manifeſta vitij. neque enim Scæuulæ Craſſus aut natura aut adoptione frater fuit: & præclarè membranæ collegij Toſani, quarum lectiones mihi oſtendit vir doctiſſimus & mihi non amicitiæ ſolùm ſed & hoſpitij nomine coniunctiſſimus Suffridus Petrus; præclarè inquam

quam

quam illæ: *quòd cùm P. Scæuulæ ſupereſſet.* hoc eſt, vt ego interpretor, tutelam illius gereret. Tutores enim pupillorum rebus ſuperſunt; quod ipſi per ætatem non poſſint. ita ergo iſthic emendandum cenſeo.

Eodem Appuleij libro, infrà.

Modico deinde regreſſa, patefactis ædibus: Rogat te, inquit inutili me, eúmque accubantem exiguo admodum grabatulo & commodum cænare incipientem inuenio.

Nihil deeſt, quod cuipiam videri poſſit: interpunctione tantum indiget, & leui correctione. *Rogat te, inquit: intuli me.* Rogandi ſolo verbo vtebantur, cùm quem vt vnà eſſet & accumberet inuitarent. Ipſe Appuleius libro hoc extremo: *Et ecce Fotis ancilla, rogat te, inquit, hoſpes.*

CAPVT V.

Tegillum & tectum, pro veſte. Alieni. Appuleius correctus: item Lucillius apud Nonium & Cato apud Feſtum.

TEGILLVM pro integumento corporis ſeu veſte vili & plebeia frequentatum conſtat è Feſto & Nonio, & exemplis quæ iidem laudant, Plauti Rudente:

Tegillum eccillud mi vnum areſcit, id ſi vis dabo.
Eodem amictus, eodem tectus eſſe ſoleo cùm pluit.

Et Varronis Seſqni-Vlyſſe:

Iugêre volitans miluos viſus aquam è nubibus
Tortam indicat adfore: tegillum vt paſtor ſibi
Sumat.

Id verbum reponendum apud Appuleium libro IX. *Nonnulli exiguo tegillo tantummodo pubem intecti.* Malè enim vulgò, *tegili.* Porro adiicit Nonius, *deminutum eſſe à tecto.* rectè. Sic enim à *recta*, quod itidem veſtis genus eſt, *regilla:* & tecto quoque veſtem ſignificari

argu-

argumento eſt Lucillij locus apud Nonium Palla:

Cùm tectum eſt (quid vis?) ſatis eſt: viſuri alieni
Sint homines ſpiram, pallas, redimicula.

Ita eum locum interpungo & lego. Cùm, inquit, veſtita es quomodolibet, ſatis eſt tibi: quid requiris amplius? alij in ornatu anquirendo faſtidiant. *Alieni* enim hîc iidem qui *alij*: vt ſocieni, ſocij; dubieni, dubij. Et quia hîc ſum, addam locum Catonis ex VII. Originum priori ſimillimum: apud Feſtû, Rûſcum. *Mulieres opertas auro purpuráque: arſinea, rete, diadema, coronas aureas, ruſſeas faſcias, galbeos lineas, pelles, redimicula.* Ita correxit præclarè, vt omnia, ſol litterarum Scaliger: vnum reſtat tamen, ſed leuiculum, mendum. Legendum enim, *pallas:* non, *pelles.* Palla inter præcipua mundi muliebris, pelles non item. nam quod Feſtus alibi prodidit lugentes diebus luctus in pellibus fuiſſe, huc pertinêre non poteſt.

CAPVT VI.

E Plauto inſigne gloſſema ſublatum: tum emendati & concinnati verſus aliquot.

AMPHITRVONE Plauti primore fabula verſus ſunt & numeris confuſiſſimi & pleni mendorum. In iis quos ſubſcribſi:

Opulento homini hoc magis ſeruitus dura eſt
Hoc magis miſer eſt diuitis ſeruos.
Noctéſque diéſque aſſiduò ſatis ſupérque eſt,
Quò facto aut dictò adeſt opus quietus ne ſis.
Ipſe dominus diues operis & laboris expers
Quodcumque homini accidit, liberè poſſe retur.
Aequum eſſe putat, non reputat laboris quid ſit,
Nec æquom ánne iniquom imperet cogitabit.

Eos

Eos in ſenariorum legem reponendos & corrigendos vt arbitror, ita ſubiiciam: tum facti mei cauſſam dabo.

Opulentod homini hoc ſeruitus dura eſt magis,
Noctéſque diéſque aſsiduò ſati' ſupérque eſit,
Quo facto aut dicto eſt opu' quietus ne ſies.
Ipſe dominus operis expers & laboribus
Quodcumque animum accidit libêre, poſcere
Aequom putat eſſe, non laboris quid ſiet
Reputat, nec æquom ne anne iniquom imperet.

Primùm illa quæ eieci, hoc magis miſer eſt diuitis ſeruos, liquet mihi affirmare interpretationem eſſe verſus primi adiectam ab indocto magiſtro, ita inficetè vt me in hoc diutius immorari pigeat. Deindè ſcribſi, *ſatis ſupérque eſit:* quod ἀρχαισμῷ hoc, *eſit* pro *erit*, librarios offenſos correxiſſe arbitrarer, qua in ſententia maneo: ſi tamen ita quis malit qüe diuidat, & conſtabit verſus. Tertio verſu quid aliter facerem quàm feci non habebam, ſi Plautum Latinè loqui vellem. ſemper enim Latini, eſt opus facto: numquam ei modo, quo editur vulgò. Sequitur,

Ipſe dominus operis expers & laboribus.

mutatione, fateor, ſubaudaci: quæ tamen ratione nitatur. *Opera* pro *labore* paullò minus quàm protritum eſt. Cicero: *Mercenariorum operas non artes emimus*: etiam ignotius fortaſſe gaudêre non minus auferendi caſu quàm gignendi iſtud, expers. Turpilius:

Neque mirum educta, vt par eſt, expers maliitiis.

Eam occaſionem ſuſpicor fuiſſe cur mutarent temerè qui non caperent. Si quis tuebitur lectionem publicam, cum eo non valdè pugnabo: hoc modò ne diffiteatur è gloſſa eſſe *τὸ dives*, ad illud quod præceſſit, aſſiduus. Cetera, niſi me valdè fallit, benè reſtitui:

Illud *homini* occupaſſe libros pro *animum*, minus mirabitur qui idem irrepſiſſe in omnes libros cogitabit apud Ciceronem in epiſtolis, in illo Trabeæ:

Ego voluptatem animi nimiam.

Capvt VII.

Tolutim ire. Acupedius. Sonticum. Remos detondere. Emendatus Nonij verſus, & complures Lucillij.

Lvcillii verſum Nonius adducit in Tolutim.

Idem: Velle tolutim hic ſemper incepturus videtur.

Eum pudenti mutatione reſtituere conabar,

Vele' tolutim hic ſemper inceſſuru' videtur.

Loquitur de milite, qui magnificè & equi tolutarij in modum ſe inferat, ſiue etiam qui celeriter,& acupedius ſit: ſic enim veteres ποδώκεα transferunt: ſed verius prius. Incedere, ſiue,vt Plautus, βαδίζειν tolutim equi gradarij eſt: hinc migratione in alienum tolutim ire accelerare eſt. Nonius: *Dixi iturum in Tuſcos tolutim.* Sic lego, litterula extrita. Inde tolutiloquentia, quam interpretatur M. Tullius volubilitatem verborum lingua exercitata & celeri. Nouius Gallinaria:

O peſtifera, Pontica, fera, trux tolutiloquentia.

Vbi reponendum moneo pro Pontica, quæ vox quid ſibi velit, hîc quidem, non video, *ſontica*; hoc eſt, noxia & lethalis. Nam ſonticus morbus eſt qui diuturnitate noxius, & ſontica cauſſa grauis, & quam ſubterfugere non poſſis. In Guberna.

Lucillius Satur. XX. *Proras deſpoliate & detundite guberna.*

Lege, *detondete.* Guberna poſita pro gubernaculis ἑλληνισμῷ Nonius hîc admonet, & imitatus eſt,vt pleraque

raque huius poëtæ, Lucretius. Detondere guberna-cula aliis remos detergere eſt. Cæſar primo De Bel. Ciu. *Remos tranſcurrentes detergere, ſi poſſent, contendebant.* In Fulgêre.

Lucilli. Satur. x i. *Conuentus pulcer! braca, ſaga, fulgere torques Magni.*

voce vltima inducta corrige, *ManlI.* Gallis peculiarem habitum notat, braccas, ſaga virgata, torques, quos iocosè Manlij dicit, quòd T. Manlius torque Gallo detracto Torquatum cognomen in familiam induxerit. Eumdem habitum ex parte Tacitus tangit in hiſtoria Auguſta, de Cæcina loquens. *Ornatum ipſius municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant, quòd verſicolore ſagulo braccas tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.* Vbi neſcio an è gloſſemate ſint illa, *braccas tegmen barbarum indutus*, & legendum ſit, *braccatus togatos*, vt aliàs Latini. Certè non ita ignotæ Taciti ſæculo braccæ, vt explicandæ eſſent. hoc tamen pono, non etiam adfirmo.

Capvt iix.

Conſilium. Conſiliari. Opus approbare. Durare. Illuſtratus Plautus Pœnulo & Aſinaria.

Fvlloniam hoc capite demereri mihi lubet, eademque elegantem locum Plauti illuſtrare, primore fabula.

Placet conſilium. m i. *immò etiam vbi expoliuero,*
Magis hoc tum demum dices, nunc etiam rude eſt.

Duo olim fullonum officia erant; veſtem eluere & cogere vnum, alterum eamdem creta candefacere: illud conſiliari dicebant, & ipſam actionem, quod inſultu multo pedum fieret, conſilium; hoc, expolire.

Varro

Varro De lingua Latina libro quinto. *A cogitatione concilium, vnde conſilium. quod vt veſtimentum apud fullonem cùm cogitur conſiliari dicitur: ſic reminiſci, cùm ea quæ tenuit mens ac memoria cogitantur & cogitando repetuntur.* Quem locũ vt obiter explicem, à paucis perceptum: cogitare, inquit, eſt crebrò cogere, vnde concilium, quia cogitur; & hinc conſilium, in re fullonia, quod veſtimentum cogat; in animo humano, quod cogitet id eſt multum diuque cogat ea quæ memoria tenuit. Hæc igitur vrbaniſſimi ioci mens eſt. ait adoleſcens placere ſibi conſilium, intelligens inuentum ſerui de ſubornando villico: at ille ita accipit, quaſi de veſte clauta & coacta loqueretur: immò, inquit, nihil eſt præ vt mox opus meum tibi probabò, cùm addidero politias ceteras. Nam vt nunc res eſt, conſilium quidem eſt; ſed rude & ſine politiis. Notum autem eſt mercenarios opus approbare ſolitos dominis. Appuleius libro ſexto. *Singuliſque granis ritè diſpoſitis atque ſeiugatis ante iſtam veſperam opus expeditum approbato mihi.* Milite:

———Satin' eſt tibi, ſi
Meum opus dabo ita expolitum, vt improbare non queas.

Ad quem morem etiam reſpexit. Porrò durãdi quoque verbum fullonum proprium erat, quòd veſtis coacta & incretata dureſcat. Abſque hoc ſit, Sibyllæ folium erit verſus, Aſinaria:

Non queo durare. PA. *ſi non didiciſti fulloniam,*
Non eſt mirandum.

Vbi malè affligamur, ibi nos durare poſſe venuſtiſſimo loquendi genere negamus. Terentius:

Non hercle hîc quidem durare quiſquam, ſi ſic ſit, poteſt.

Miſeriam ergo ſuam & dolorẽ animi muliercula cùm ſignificaret, paraſitus per deridiculũ aliò detorquet,

CAPVT

CAPVT IX.

Lucillij fragmenta aliquot correcta, compoſita, & cum Terentij loco ſimili collata.

PERGAM è Lucillio maculas tollere; & primum ex his verſibus, adductis à Nonio in Rogare.

Ferri tantum ſi roget me non dem quantum auri petit, ſi
ſe cupit etſi quoque à me quæ rogat non impetret.

Septenarij ſunt, neque difficulter emaculantur ita:

Ferri tantum, ſi roget me, non dem, quantum auri petit:
Si ſe cupiet, ſic quòque à me, quæ rogat, non impetret.

Arilator nimirum is rogator erat, qui mutuam pecuniam geſtiret ſumere Kalendis Romanis, quam Græcis redderet. In Repedare.

Lucillius XXVI. *Rediſſe ac repedaſſe, vt Roma vitet gladiatioribus. Idémque. Sanctum ego à Metello Romam repedabam munere.*

Exemplo priori acutè amiciſſimus Palmerius legit, *Romam vt bitet gladiatoribus*, id eſt, *ſpectaculis gladiatoriis*. Reliqua arbitror ita ſcribenda: *Idem. Queis actis ego à Metello repedabam numero*. Numero idem quod celeriter, ocyus: vt omnes nôrunt.

In Poſticum.

Lucilli. VIII. *Piſtrinum appoſitũ poſticum, ſella, culina.*

Melius eſt, *oppoſitum poſtico, cella*. In Offendere.

Lucil. XXVI. *Si quod verum inuſitatum autem ζητημάτιον offenderam.*

Suſpicor verum eſſe, *verbum inuſitatum, aut ζητημάτιον*. Ex eodem hoc libro quæ adferuntur apud Nonium in Apiſci, Niti, Cordi eſt:

Et quod tibi magnopere cordi eſt, mihi vehemẽter diſplicet:
**Summis nitere naturæ opibus; at ego contrà vt diſſimilis ſiem:*

Vt ego effugiam, quod ego te inprimis cupere apiſci intellego.

octonarij tres ſunt, quos ita olim coheſiſſe non dubito, niſi quòd ante verſum ſecundum quid videtur deeſſe: expreſſi autem ſunt à Terentio Andria penè ad verbum.

———ſed ſi id non poteſt,
Aut tibi nuptiæ hæ ſunt cordi. Et mox:
Nuptias ego iſtas effugere malo, quàm tu adipiſcier.
CH. *Reddidiſti animum.* PA. *nunc ſi quid potes aut tu, aut tu Byrrhia,*
Facite, fingite, inuenite, efficite, quî detur tibi:
Ego id agam, mihi quî ne detur.

CAPVT X.

Eiuſdem Lucillij verſus cum Terentij & Virgilij compoſiti: tum adducta in medium & emendata inſignis ſententia.

SINE dolo dicam, valde gaudeo, cùm in imitationes incido optimorum auctorũ expreſſas de ſcriptis vetuſtiorum ſiue oratorum ſiue poëtarum. Vindicare enim mihi videor antiquitatis Romanæ ſtudioſos, à calumnia certorum hominum, qui ex his ipſis ſemiſepultis ruderibus, ſi quid ex vſu ſit, cupidè ſublegunt. Qua re ſi qui Latinam linguam contaminari putant, ne illi eodem maledicto Terentium, Virgilium, è ceteris optimum quemque circumſcribunt; quos hi noſtri auctores habent. Certè reſpexerint ne ij quos poſui ad Lucillij verſus quos ſubiiciam, ipſi viderint: geminos quidem ſibi inuicem eſſe non negabunt. Lucillius apud Nonium in Genius:

Curet ægrotum, ſumtum homini præbeat, genium ſuum
Defrudet, alij parcat.

Teren-

Terentius, Phormione:

Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo
Suum defrudans genium comparſit miſer,
Id ila vniuerſum abripiet.

Lucillius XXVII. Nonius, Mordicus.

Mordicus petere aurum ex flama, expediat è cœno cibum.

Terentius Eunucho.

E flama petere tè cibum poſſe arbitror.

Lucillius XXVII. Nonius Proprium.

Cùm ſciam nihil in vita proprium mortali datum eſſe.

Terentius, Andria.

Nihil ne eſſe proprium cuiquam?

Lucillius XXVII. Nonius, Pernix.

Fuimus pernices, æternum id nobis ſperantes fore.

Virgilius, Æneide.

——Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Dardanidûm.

Sed hæc leuiora: adiiciam locum ex eodem Nonio in Dare, quem mendosè legi arbitror:

Lucillius lib. XXVI. *Animóque ægrotat vidimus corpore hunc ſignum dare.*

Scribo, *Animo qui ægrotat, videmus.* Philoſophica ſententia eſt, animi turbati indicium facere habitũ corporis; contrà, corpus doloribus confectum animo vegere. Vtroque enim animo & corpore hominem, id quod eſt eſſe, & viuere. Hæc adiecisse Lucillium ex duobus præterea fragmentis collego: quæ in ſeptenarios recollecta cum hoc non peſſimè compoſui:

Animo qui ægrotat, videmus corpore hunc ſignum dare;
Tum doloribus confectum corpus, animo obſiſtere.
Principio phyſici omnes conſtare hominem ex animo
& corpore Dicunt.

CAPVT XI.

Herere alicui. Numerus. Neglegi pro neglexi. Sacramenti militaris formula. Correctus Cicero Philippicis, & Terentius Adelphis.

PHILIPPICA XIII. omnes libri editi habent: *Eſt etiam Decius, ab illis opinor Muribus Deciis. Itaque Cæſaris munere Deciorum quidem multo interuallo per hunc præclarum virum memoria renouata eſt.* Non incommodè, abſque libro veteri eſſet, qui legit: *numero Cæſaris ſeſit. Deciorum quidem.* Perſpicuè rectum eſt, *numero Cæſaris heſit.* Herere alicui eſt implicari & irretiri alicuius conſuetudine: idque potiſſimùm in vitio ponitur. Terentius Adelphis:

optumè eſt. Metui ne hereret huic.

Ita enim optimum fragmentum Colonienſe, neque diſſentit Donatus, atque ipſe Demea primore hac ſcæna:

Vbi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquò: perſuaſit ille impurus, ſat ſcio.

Eleganter ergo Cicero hunc Decium nomine dumtaxat commendatum heſiſſe ait non Cæſari ſed numero Cæſaris: ſimul & colluuiem familiarium Cæſaris notans & huius Decij vilitatem, qui ei numerus tantùm fuerit, hoc eſt, precio aut loco nullo. Sic enim & Horatius: *Nos numerus ſumus.*

Eadem infrà, epiſtola M. Antonij.

Theopompum nudum expulſum à Trebonio confugere Alexandriam neglexiſtis.

Idem liber, *neglegiſtis*: idque recipere mihi religio non erit. Locutus ita Æmylius Macer, teſte Diomede: *Omnem auctoritatem neglegerunt.* Et affectaſſe obſoletas voces Antonium ex Suetonio conſtat.

Ali-

Aliquanto inferius:

At militibus incluſis opem fertis. nihil moror, illos ſaluos eſſe & ire quò lubet.

Melius ſcripti, *& ire quò iubetis.* Alluſit ad ſacramenti militaris formulam: *Ibo quò Senatus Populúſque Romanus iuſſerit.*

CAPVT XII.

Sarcinare. Aciæ. Machinæ ſarcinatricum. Nonius reſtitutus, & explicatus apud eum Varro.

NONIVS in Sarcinatrices.

Sarcinatrices non (vt quidam volunt) ſarcitrices, quaſi à ſarciendo: ſed magis à ſarcinis, quòd plurimum veſtium ſumant. Varro ὄνος λύρας. Homines ruſticos in vindemia incondita cantare, ſarcinatrices in machinis.

Primùm verba Nonij emaculo, *quod plurimum veſtium ſuant.* Vult ſarcinare quaſi frequentatiuum eſſe primigenij ſui ſarcire. Deinde in exemplo Varronis, fuit cùm legerem, *in aciis:* vt Catullus dixit, *in vino ludere.* Acus enim & aciæ ſarcinatricum & phrygionum propriæ. Titinnius Bubato:

Phrygio fui primò benéque id opus ſciui,
Reliqui acus aciáſque hero atque heræ noſtræ.

Sed muto iam nunc ſententiam. Machinæ pergulæ ſunt, in quibus ſarcinatrices opus factitabant nòn hoc modò Mineruæ, ſed alterum quoque illud, ni fallor, Veneris. Semper enim id genus mulierculæ hanc partem malè audiêrunt. Itaque Q. Cicero C. Antonio crimini ponit, amicam eum in Prætura de machinis emiſſe; De petitione Conſul. *Qua tamen in magiſtratu amicam quam palam domi haberet, emit de machinis.* In magnis familiis vt ornatrices, veſtiſpicas; ita ſar-

ita ſarcinatrices partem famulitij fuiſſe pars lapidis Romani indicat:

IVLIA . IVCVNDA
AVG. L. SARCINATR

CAPVT XIII.

Eloco pro illico. Plautus Menæchmis & Truculento emendatus: item Varro.

MENÆCHMIS, Scæna Vt ætas.

At ille mihi ſuppilat aurum & pallam ex arcis, modò
Me deſpoliat, mea ornamenta iam ad meretrices degerit.

Scribo, *ex arcis domo:* & verſu ſecundo, *clam ad meretrices degerit.* Perpetuus in his vocibus error librariorum, & poſtulat ſententia. Sic enim reſpondet mox Menæchmus.

Deosq́; teſtor. SE. *qua de re aut cui rei rerum omnium.*
ME. *Me neque iſti malè feciſſe mulieri, neque, quod me arguit,*
Hanc domo abs ſe ſurripuiſſe.

Quæ coniecturam meam ita probant, vt vltrà verbis nihil opus ſit. Similem maculam eluam Truculento, Scæna Numnam tibi amabo.

Ego iſti non munus mittam: iam modò ex hoc loco
Iubebo ad iſtam quinque perferri minas.

Verſu priore & numeri euagantur ſupra plantam, vt aiunt; & vacillat ſententia. Non enim à via, vbi tunc erat, perferri munus ad meretricem iuſſurus erat: ſed à ſe domo. Quare reſtituo; *iam domo eloco Iubebo: ad iſtam q. p. m.* Eloco & ilico promiſcuè triuerunt Latini veteres: vt eoſdem illum, ellum, ollum indifferenter vſurpaſſe teſtimonio ſunt Grammatici & exempla ſcriptorum. Hoc cùm neſcirent librarij (quid

autem

autem illi non neſciunt?)pro captu ſuo emendarunt: ſi peruertere emendare eſt. Significant autem eæ particulæ & tempus, vt hîc & plerumq. alibi, & locum, vi veriloquij. Eſt enim eloco, quaſi eo loci: & ab illico aduerbia τοπικὰ deſcendunt, illic & illi. Varro, ὄνος λύρας: apud Nonium in Manſuem.

Non vidiſti ſimulacrum leonis è loco, vbi quondam ſubitò eum cùm vidiſſent quadrupedem Galli, tympanis adeò ferunt manſuem, vt tractarent manibus.

Non dubia correctio eſt, *eloco, vbi quondam:* quod & ſibi iampridem veniſſe in mentem, mihi, cùm hæc legeret, ſignificauit Palmerius. Infrà quiuis videt ſcribendum, *fecerunt manſuem.*

CAPVT XIV.

Mos antiquus laudandi nouam nuptam, & cur iactati in nuptiis feſcennini.

NOTAVIT Nonius tali pro talis poſitum à Titinnio Setina, his verſibus:

——accede ad ſponſum audaciter:
Virgo nulla eſt tali Setiæ.

Neſcio an aliis, mihi certè non perſuadet: & neſcio an ſcribſerit Titinnius, *eſt tale Setiæ*: ad quam faciem eſt hoc Pomponij:

Simile eſt quaſi cùm in cælo fulgit propter lunam lucifer.

Nam manifeſtò de puella ſiue puero ſermo eſt. Eodem modo Titinnius alibi: *Formicæ pol perſimile eſt ruſticus homo.* Neque refugerunt Plautus, Virgilius, alij: apud quos exempla ſimilia paſſim obuia, aut certè reperit in libro ſuo Marcellus extrito s, tali' Setiæ: quod more maiorum factum caudex ille non ſenſit. Atque hoc primùm, deinde ex illis verbis morem

antiquum elicio laudandi nouam nuptam: ita enim ferè accinebant· NVLLA TE HODIE PVLCRIOR. Id diligenter obſeruauit in Hymenæo Mallij doctiſſimus Catullus:

Tardet ingenuus pudor.
Quæ tamen magis audiens,
Flet quod ire neceſſe eſt.
Sed moraris, abit dies:
Prodeas noua nupta.
Flere deſine. non tibi
Aurunculeia periculum eſt,
Ne qua femina pulcrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.

Quòd autem nimias laudes à Nemeſi vindicari & faſcino obnoxias credebant; feſcenninos ſtatim adiiciebant præfiſcini: hoc eſt, ad arcendum faſcinum, vt rectè interpretatur Feſtus. Id eadem hac fabula narrauit mihi Titinnius: nam cùm ita laudaret Setinam virginem pronuba, ſiue quæ alia fuit: interpellat altera;

Paulla mea amabo pol tud ad laudem addito
Præfiſcini.

Ita libri, & nollem virum eruditiſſimum aliter laudaſſe. Subiicit Cariſius, qui hoc fragmentum conſeruauit, explicandi cauſſa: *ne puella faſcinetur.*

CAPVT XV.

St. Cautes Terentij Heautontimorumenos correcta.

HEAVTONTIMORVMENO, Scæna Ain' tu, vulgò legitur:

Enim verò reticere nequeo, multimodis iniurius

Clitipho

Clitipho eſt, neque ferri potis eſt. Clin. audiendum hercle eſt tace.

Verſu ſecundo neq. numeri pleni ſunt,& ſtultè Cliniа ſilentium imponit Clitiphoni, qui nullus interloquatur, iam quidem. In MS. Colonienſi lego, *audiendum hercle eſt. Clit. quid eſt, tace.* Vnde litterula mutata verum me elicuiſſe ſpero.

Clin. audiendum hercle eſt. Clit. quid? C. ſt, tace.

Cùm audiendum Syrum Clinia cenſuiſſet,ira adhuc ardens Clitipho, quid, inquit, ego audiam ſcilicet: quæ priuſquā eloqueretur, Clinia geſtu & voce eum reprimit. St,ſilentij nota propria. Poëta vetus: *Harpocrates, digito qui ſignificat ſt.*

Scæna, Quid iſthuc?

Vel heri in vino quàm immodeſtus fuiſti! Sy. factum.
CH. *quàm moleſtus!*

Malim, *actum*. Conſternati ſerui & qui in fallaciis cùm manifeſtus teneatur paueat ſermo eſt.neque adhuc colloquio ſe miſcuit:vt intelligere poſſimus ſupparaſitari eum Chremeti. Probant & quæ antè dixit, *acta hæc res eſt, perij.*

Scæna, Ego me non.

ME. *Quid? iſthuc times, quòd ille operam amico dat ſuo*
CH. *Immò quòd amica.* ME. *ſi dat.* CH. *an dubium id tibi eſt.*

Dolor Chremetis poſtulare videtur: *ah, dubium id tibi eſt.* & veriſſimum hoc eſt ab aliis traditum,inuicem has particulas ſæpiſſimè mutaſſe. Ita autem vt ſcribſi, aliâs ſemper Terentius. ſuprà hac fabula:

Mille numûm poſcit. CH. *& poſcit quidem.* SY. *hui*
Dubium ne id tibi eſt? Eunucho.
Ne id quidem tacebit Parmeno. PA. *oh, dubium ne id eſt,*

Scæna eadem.

——in me quiduis harum rerum conuenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

Non moueo controuerſiam huic loco: ſed diſſimulare nolo in MS. reperire me, *cautes:* non, *caudex.* & eam lectionem videri ſtabiliri verbis Chremetis infrà hac ſcæna,

Quot res dedere, vbi poſſem perſentiſcere,
Ni eſſem lapis.

Notū illud Virgilij de dura & immiti, *Marpeſia cautes.*

CAPVT XVI.

Surdè audire. Surdo narrare. Græca mercede curare. Homo non ſeſcunciæ. Correctus Pomponius.

SENTIO me leniora nonnulla his meditatiunculis adſperſiſſe, & quæ doctioribus fortaſſe non videbuntur digna, de quibus admoneantur. Mea tamen hæc ſententia eſt, nihil leue eſſe, quod iuuentutem & bonas litteras quoquo modo doceat, neque, vt in veteri verbo eſt, ſit crambe repetita. Quale fortean hoc erit, quod notaui illuſtrando loco Terentij Heautontimorumeno:

Ne ille haud ſcit quam mihi nunc ſurdo narret fabulam.

Prouerbij originem quærebam. Nam Eraſmus hîc ariolatur, hoſpitem in ſurdum incidiſſe: multa eum diu nequiquā rogaſſe: eam rem conſciis riſui ac mox dicterio fuiſſe. ſcio ita fieri ſolêre, & neſcire mallem: verùm lubet arbitrari, eum fruſtrà fuiſſe. Qui alterum loquentem parum attenderet; ſiue vecordia animi, ſiue quòd alibi eſſet: ſurdè audire vulgò dicebatur. Id didici ex Afranio:

Amentes [quibus animi non ſunt] integri, ſurdè audiunt.

Incluſa his notis [ ] dele in Cariſio, apud quem hoc fragmentum exſtat. Sunt enim irreptitia. Idem indicat manifeſtius Propertius:

Ah pudeat, certè pudeat: niſi fortè, quod aiunt,
Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet.

Et Plautus Caſina:

Sed vxorem ante ædis eccam. hei miſero mihi
Metuo, ne non ſit ſurda atque hæc audiuerit.

Amans differri ſe ſermonibus hominum non audit, vecordia animi: at ille Plautinus optat vxorem alibi cogitationibus fuiſſe, ne inaudierit verba ſua. Vt igitur, qui hoc modo verba exciperet, ſurdè audire: ita qui illiuſmodi homini loqueretur, ſurdo narrare dicebatur. Liuius III. Hiſtoriarum. *Haud ſurdis auribus dicta: impreſſione vna totum equitatum fudêre.* Addam non grauiora alia, Plautus Aſinaria:

Cætera quæque vti volumus Græca mercamur fide.

Non minus venuſtè Afranius, *Græca mercede curare:* cùm in emptione repræſentatur pecunia, non in diem eſt. Verba apud Nonium in Occupare, leuiter à me emendata.

———quæ tuleram mecum millia decem
Victoriatûm Græca mercede illico
Curaui, vt occuparem.

Ab eodem in Senica verſus hic adducitur:

Pappus hic medio habitat ſenica non ſeſcuncia.

Lego, *P. his in ædibus h. ſ. n. ſeſcunciæ.* Vt Afranius, *homo non nauci*; Næuius, *non quiſquiliæ*; Vatinius apud Ciceronem, *non ſemiſſis*; Plautus, *non aſſis, non trioboli:* ita hîc Pomponius, *non ſeſcunciæ* dixit, de eo qui nihili & nullæ rei eſſet.

CAPVT XVII.

Rota fortunæ. Peculiares ſerui & ancillæ. Tunicæ laxæ. Tibullus illuſtratus locis aliquot.

VETVS verbum eſt, *dies diem docet:* ita in his litteris ſcriptor ſcriptorem explicat. Id adeò in mentem mihi venit è Tibulli verſu lib. I. Eleg. V.

At tu qui potior nunc es, mea furta caueto.
Verſatur celeri ſors leuis orbe citò.

Ita è ſuis excerptis vir doctiſſimus emēdat. Sed hauddubio è gloſſemate irrepſit illud, *citò:* & vera antiqua lectio eſt, *orbe rota.* De eadem fortunæ rota M. Tullius in Piſonem: *Cùm collegæ tui domus cymbalis & cantu perſonaret, in quo ne tum quidem, cùm illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat.* Itaque etiam apud Plautum Truculento,

Verterunt ſeſe memoriæ, ſtultuſt qui id admiretur.

reponendū arbitror, quod in ſuis MSS. repperit Lambinus, ſed quid eo faceret non vidit. *Vertit ſeſe rota viciſſim, ſtultuſt qui id admiretur.*

Suprà lib. I. Elegia III.

At circa grauibus penſis affixa puella
Paullatim ſomno feſſa remittat opus.

Vt adoleſcentulis ſeruuli cuſtodes dabantur, ita puellis ſeruulæ, quæ in lanificio vnà eſſent, eas ſectarentur & curarent: ij eæque, vt Iuriſconſulti loquuntur, peculiares illis plerumque erant, hoc eſt in peculio. Captiuis:

Venditque patri meo te ſex minis. is te mihi
Paruulum peculiarem paruulo puero dedit. Perſa:
Sophoclidiſca hæc peculiaris eſt eius Quò ego miſſus ſum.

Et verò quæ curabant puellam aut in lanificio vnà erant ſeruolæ, Latinè circa illam eſſe dicuntur. Exemplum

emplum hîc in Tibullo habes & Terentij Eunucho.

Abducit ſecũ ancillas: pauca quæ circum illã eſſent manent
Nouitiæ puellæ.

Lib. 1. Elegia VI.

Tunc procul abſitis, quiſquis colit arte capillos
Effluit effuſo cui toga lapſa ſinu.

Rectè mutauit acutiſſimus Scaliger, cui hoc Gratiarum poëticarum ſodalitium æternùm debebit, *laxa:* eique emendationi fulciendæ locus vnicus eſt infrá:

Nunc ſi clauſa mea eſt ſi copia rara videndi
Me miſerum, laxam quid iuuat eſſe togam.

Laxæ togæ & ad talos demiſſæ tunicæ probro erant, vt argumenta libidinoſi & mollis animi. Cicero Inuectiua ſecunda: *Quos pexo capillo nitidos & imberbes aut bene barbatos videtis, manicatis ac talaribus tunicis, velis amictos non togis.* Plautus Pœnulo:

Sanè genus hoc mulieroſum eſt demiſſiciis tunicis.

CAPVT XIIX.

Frater cibarius. Cibicida. Amicus ferentarius. Varronis fragmentum emaculatum & cum altero compoſitum.

Ex Varronis Satura ὄνος λύρας Nonius hæc adducit in Verutum,

Acerbus, qui tibi nihil mali fecerunt verutis ob artem præclaram.

Vt quidem hactenus leguntur, nulli rei; & non intellecto murmure verius quàm aliqua, obſcura ſaltim, ſententia. Vide tamen, ſi illis lucis quippiam correctione noſtra acceſſerit. Lego enim, *ac ceruos q. t. n. m. f. verutis. ob a. p.* Emendationi huic fundus eſt locus alter ex eodem libro laudatus à Nonio in Venabulum: *Nempe ſues ſyluaticos in montibus ſectaris vena-*

venabulo, aut ceruos. Nam, audeo dicere: nihil verius, quàm hæc ita coheſiſſe.

Nempe ſues ſyluaticos in montibus ſectaris venabulo; aut ceruos, qui tibi nihil mali fecerunt, verutis. ob artem præclaram!

Inſectatio rei venaticæ eſt. Ex eodem libro adfert Nonius:

Tuus autem ipſe frater cibarius fuit Ariſtoxenus.

Fratrem amoris & amicitiæ ſignificationem habêre notum eſt: hinc eleganter Varro fratrem cibarium dixit, qui congerroni ſuo impendio victum curat, eique tamquam pro cibo eſt: contrà qui aluntur, cibicidas Lucillius pari venuſtate nominat, lib. XXVII. *Viginti domi an triginta vel centum cibicidas alas.* Ita Plautus iocosè amicum ferentarium vocat, qui repentè opem fert & auxilium egenti amico. Trinumo:

———*nam illum tibi*
Ferentarium eſſe amicum inuentum intellego.

Quo loco alluſit ad ferentarios notum genus militum in exercitu Romano.

CAPVT XIX.

Quid niſi. Tempori. Andria Terentij verſus tres de coniectura conſtituti.

SCÆNA, Quid ais Byrrhia?
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. *quid ni? ſi nihil impetres*
Vt te arbitretur ſibi paratum mœchum ſi illam duxerit.

Æſtuant priore verſu interpretes & variant libri: ſed meo animo nõ peſſimè reſtitui, interpunctione paullum immutata. *adeon' ad eum* B. *quid niſi? nihil impetres; Vt te arbitretur,* &c. *Quid niſi* vetuſtè, quod nos terimus

mus *quid ni*. Vſus eo vnicus Terentianæ venuſtatis amator Afranius.

Me auctore mater abſtinebis. quid niſi.

Mox ſubintelliges, *ſi*: vt frequentèr & perelegantet Latini. Menæchmis: *Nam abſque te eſſet, hodie numquam ad ſolem occaſum viuerem*. Si nihil impetres ait; at metum certè iniicies parati adulterij.

Scæna, Adhuc Archillis.

Atque adeò in ipſo tempore eccum ipſum obuiam.

Libri MSS. adiiciunt, *Chremem*: & diſertim interpres vetus idem agnoſcit. Quare nemo mihi quidquam credat, ni ſcribſerit Terentius:

Atque adeò tempore ipſum eccum obuiam Chremem.

Tempori idem quod oportunè, tempeſtiuè: idemque efferebant, tempore; vt heri here, veſperi veſpere, luci luce, mani mane. Epidico:

Aedepolne iſtam tempore gnato tuo ſumus
Præmercati.

Vulgaria lectio ab interpretis verbis deprauatis manauit: quæ ita reſtituo. *Quid aliàs*] *cur aliàs. Tempore*] *in ipſo tempore, in ipſa oportunitate, in ipſo articulo* Eadem labes contaminauit, vt mihi quidem videtur, locum eiuſdem huius fabulæ, Scæna vltima:

———C H. *ſaluos ſum ſi hæc vera ſunt,*
Colloquar. P A. *quis homo eſt? Charine in tempore ipſo*
mihi aduenis.

Scripti plerique omnes duabus vocibus hîc auctiores ſunt, *Adibo & conloquar*: quas homines religioſi, quòd verſus excurreret, recipere non ſunt auſi. atqui inducto gloſſemate nihil negocij erat & verſui & iniuria loco motis ſubuenire, hoc modo:

Adibo & conloquar. P A. *quis homo eſt? Charine tempori*
mi aduenis.

Et hæc

Et hæc probabo doctis fortaſſe: ceteri quid probent quid improbent manum non verterim.

CAPVT XX.

Plautus Aſinaria emendatus.

ASINARIÆ Plauti ſcæna prima ſenex, à ſeruo per ſalutem ſuam ſuorumque adiuratus, ne verum reticeat, ita reſpondet:

Per Dium Fidium quæris, iurato mihi
Video neceſſe eſſe eloqui, quidquid roges.
Ita me obſtinatè aggreſſus, vt non audeam
Profectò, percunctanti quin promam omnia.

Primo verſu ſententia heret. nihil enim per Dium Fidium ſeruus quæſierat. itaque mutârunt alij, *quæ quæris*: ego vnius litteræ mutatione malim, *quæ vis*. Ita me Dius Fidius amet, inquit (per eum autem deum iurat ex more, quòd ſub dio eſſet) neceſſe eſſe video, eloqui me tibi omnia, ita me obſtinatè aggreſſus es. Adiurauerat illum nempe per ſuam & ſuorum ſalutem, quæ obteſtatio veteribus ſanctiſſima erat. Appuleius Mileſiarum II. *Sic ille commotus: ſed inſtantia Byrrhenæ, quæ cum adiuratione ſuæ ſalutis ingratiis cogebat effari perfecit vt vellet.*

Scæna, Hercle veró.

Metuo ne ille obſcanarit meæ falſæ fallaciæ.

Laudat aliter Nonius, *Et vocum illic obſcæuauit*. Corruptè, nemo negat: ſed vnde neſcio an verum elicuerim, *Ecquo nunc illic obſcæuauit*. Ecqua, inquit, ille re mihi fallaciarum comitia vitiauit. Illic antiquè pro ille, vt omnes norunt. Terentius: *Quam illic qui petit vnde is ſit theſaurus ſibi.*

CAPVT

CAPVT XXI.

Tricari. Tricones. Repoſcones. Abundare voluptatibus. Turpilij fragmenta emaculata.

THESAVRVS mendorũm Nonius eſt: quantumuis inde multa tollas, plura ſemper ſupererunt. Turpilij in eo relliquias quas perſanaui, volui quidem certè, iam dabo.

In Sublegere.

Turpili. Boëthun. Qui verba venatur mea peſtis, ars cadat & ſermonem hinc ſublegat.

Rectè vir doctus, *arcedat*. Ego iſthoc addo, vidêri & præcedentia malè affecta, legendumque:

——qui verba venetur mea,
Poſtis arcedat, & ſermonem hinc ſublegat.

Poſtis pro *poſtes* ſcriptum in errorem induxerat eundem illum, qui pro *accedat arcedat* ἀρχαϊκῶς exaratum non viderat. Ita autem ferè & Terẽtius Phormione.

In Obſequela.

Turpilius Epiclero. Neque offerre hunc diutius errari & conqueri neceſſe ſuæ obſequelæ.

Arbitror ſcribſiſſe poëtam, *Neque ferre hunc diutius tricari & conqueri, Nec eſſe ſuæ obſequelæ.* Tricari eſt creditorem delectando fruſtrari, & ſpe inani ducere. Tricones enim mala & impedita nomina dicuntur. Lucillius:

Luciu' Cotta ſenex, Craſſi pater huiu' Panæti
Magnus trico fuit nummariu' ſoluere nulli
Lentus.

Quo in loco multum riſi Nonium. Lentus nulli ſoluere eſt eo ipſo quod ſoluat nulli malè audiens & infamis. Lentum nomen, idem quod malum. Ad Atticum: *Teucris illa lentum ſanè negocium.* Contra repo-

ſcones Ammiano flagitatores ſunt, qui aſſiduo conuitio creditum repetunt. libro XXII. *Aegyptij controuerſi ſunt & repoſcones acerrimi.*

In Legere.

Turpilius Epiclero. Quoniam legere te optimum eſſe atque æquiſſimum: qua cum vegeta ætas & iubendum eſſe tibi.

Verba ſunt adoleſcentem cohortantis ad accipiendam condicionem vxoriam. Ea ſic corrigo, & in ſenarios, vnde excidêre, repono.

Quom legere te eſſet optimum atque æquiſſimum,
Qua cum vegenda ætas & viuendum eſt tibi.

Vegêre ætatem eleganter dixiſſe arbitror, pro exhilarare & iucundè traducere. Pomponius: *Animos Venus veget voluptatibus.*

In Caries.

Turpilius Leucadia. Ciperi, viden vt oſculatur cariem? num illunc illæc pudet?

Scribe, meo periculo: *Hei perij.* Fons mendi, quod *ei* pro *hei* ſcriptum fuit, & *perI*, pro *perij*.

In Immortalitus.

Turpilius Hetæra. Satíne vt meum cor voluptatibus dat, immortalitus ſe obtulit mihi hæc facultas.

Emendo: *Satíne vt meum cor voluptatibus*
Abundat? immortalitùs ſeſe obtulit
Mihi hæc facultas.

Abundare voluptatibus multi vſitârunt; nec pote quicquam venuſtius. ita propemodum ipſe Turpilius Philopatro:

Mira lenitudine ac ſuauitate abundat.

Neque mirabitur euanuiſſe ſyllabas duas, ſimilitudine antecedentium deceptis librariis, qui ſcriptos libros triuerit. Stare voluptatibus, ferri hîc non po-

teſt.

teſt. Nihil enim minus quàm ſtat cor cùm gaudio delibutum eſt: fluit potius & lubrico quodam humore quaſi perfuſum abundat. Tum ſemper horrorem aut neglectum, certè quietem verbum ſtandi ſignificat: vt in illis ipſis exemplis, quæ à viro doctò huc conferuntur, Titinnij, Siſennæ; præterea Virgilij illo, *Stat puluere cælum.*

CAPVT XXII.

Correctus Plautus Caſina & Moſtellaria.

CASINÆ Scæna, Sine modò rus veniam.

Receſſim cedam ad parietem: imitabor nepam.

E Feſto colligo veterem ſcripturam & germanam eſſe, *Receſſim dabo me ad parietem.* Dare ſe aliquò aut alicunde vſitatum Plauto & eius ſeculi ſcriptoribus. Moſtellaria, Scæna Hoc anno.

Clanculum ex ædibus me edidi foras.

Malim, *me dedi foras.* Eadem Caſina, in commemoratione flagitioſæ turpitudinis, quam Stalinus in ſe admiſerat:

Etſi malum merui, hac dabo protinam me in fugam. CL. *heus Stalino*

Amator. ST. *occidi! reuocor.*

MSS. Langij paullò aliter. CL. *ſta loco.* Non dubitabis verum eſſe, *ſta eloco.* Eloco idem eſſe quod illico ſupra docuimus.

CAPVT XXIII.

Fragmenta Turpilij aliquanta reſtituta.

PAVCA etiam num mihi ſuperant in Turpilio apud eundem Nonium. In Præſtolat.

Turpil. Pedio. Ego præſtolabo illi, eo citante opicium

Corrige, *illico hîc ante hoſpitium.* In Condemnare.

Turpilius Leucad. Et amplius illam apparere condecet: quandoquidem voti condemnata eſt.

Tentabam legere, *Etiam thus illam apparare.* Loquitur enim de apparatu rei diuinæ.

Accuſat. pro Ablatiuo.

Turpil. Epiclero. Sed vola, vt familia noſtra officia fungatur ſua.

Rectius exiſtimo eſſe, *Sedulò vt.* Ibidem:

Turpil. Vis me potiri? fac ergo potiar quod volo.

Fuit cùm mutarem, *Vis me largiri:* ſed deſtiti. Verba meretriculæ ſunt ad amatorem inanem, qui verbis ſe poſtularet ſatis facere. Vis me, inquit, ductare: at tu argentum cedo. Adiiciam capitis ſupplendi verſus duos ex eiuſdem Turpilij Pedio, quos à Nonio in Leniuit & Intui adductos rectè, ni fallor, compuli:

Quando quidem amorem intercapedine ipſe leniuit dies:
Tamen oculi longa intercapedine appetunt cupidè intui.

Tametſi, inquit, amorem tempus & interuallum loci exſtinxerit: tamen videre multò poſt quam amaueris, volupe eſt. Lepida mehercule ſentētia, & quam homines belli ϰ̀ ἐρωτικοὶ veram eſſe non negabunt.

Capvt xxiv.

In A. Gellio pauca animaduerſa: & correcti verſus Cæcilij.

Prælvcet nobis tamquā facem exemplo ſuo in hoc miſcellaneo ſcribendi genere ſcriptor Atticarum Noctium: ſolus ille quidem ex tanta copia criticorum veterum relliquus; neq. tamen melius quàm ceteri boni auctores ab imperitis librariis acceptus.

Ex iis

Ex iis vulneribus paucula perſanaui, libro II. capite XXIII.

Nihil dicam ego quantoperè differat verſus vtriuſque eximius: ſit ſatis aliis ad iudicium faciendum exponi.

Vitium & in verbis eſt & in interpunctione. Lego, *N. d. q. differant: verſus vtriuſque eximios ſit ſatis &c.* Ibidem paullò infrá:

Quódque Menander præclarè & appoſitè & facetè ſcribſit, ea Cæcilius nequaquam potuit & quidem conatus enarrare: ſed quaſi minimè probanda prætermiſit, & neſcio quaſi mimica inculcauit.

Ita editiones veteres: recentiores emendarunt, *neſcio quæ mimica:* ego, *neſcio quæ à ſe mimica:* haud dubiò verè. Cùm, inquit, Cæcilius leporem Menandri non aſſequeretur, ſua neſcio quæ leuia & hiſtrionica eorum vicem ſuppoſuit. Mox Cæcilij verſus ita vulgāt:

Sed tua moroſa ne vxor quæſo eſt? quam rogas?
Qui tandem? tædet mentionis, quæ mihi vbi domum
Adueni, ac ſedi, extemplo ſuauium datat ieiuna anima.
Nihil peccat de ſuauio vt deuomas vult quod foris potaueris.

Emendo & repono in numeros ita:

Sed tua moroſa ne vxor eſt quæſo? an rogas?
Qui tandem? tædet mentionis; quæ mihi
Vbi domum adueni, aſſedi, extemplò ſuauium
Datat ieiuna anima. Nil peccat ſuauio
Vt euomas volt, quod foris potaueris.

CAPVT XXV.

Aliuta. Aſſerere. Rudente Plauti duûm locorum correctio.

RVDENTE Plautina, principio prologi, his verſibus:

Qui eſt imperator diuûm atque hominum Iuppiter,
Is nos per gentes alium alia diſparat.

magna mihi ſuſpicio eſt, excidiſſe vocem antiquam, & ſcribendum eſſe, *alium aliuta diſparat*. Aliuta antiquè eſt aliter: vnde hoc in legibus Numæ regis; *Si quis aliuta faxit, ipſos Ioui ſacer eſto*. Eadem, Scæna Nunc id eſt:

Nec vlla ſpecula eſt, quæ ſalutem afferat.

Omnino rectum eſſe exiſtimo, *quæ ſalutem aſſerat*. Spes ſalutem non adfert, ſed promittit: animo certis rationibus inducto. Aſſerere autem confirmare eſt, cauſſis cur ita ſentias expoſitis. Cicero Lælio: *Nihil igitur aſſerunt, qui in re gerunda ſenectutem verſari negant.*

IANI GVLIELMII

VERISIMILIVM

LIBER TERTIVS.

CAPVT. I.

Interdare. Bonis emungi, eluere. Offrenari. Plautus Captiuis emendatus, &, ſi fortè, Rudente.

MVSAS ipſas mihi demereri videor, Plauti vulneribus cùm medeor. neque immerito fortaſſe: ſi verum eſt, quod viri doctiſſimi affirmarũt, eas, ſi Latinè loquerentur, Plauti verbis ſermonem texturas fuiſſe. Ea re lubens meritò feci Captiuis eius aliquot malè affectis membris remedium vt properarem. Scæna, Iniicite huic actutum.

Quando ego te exemplis peſſumis excruciauero,
Atque ob ſutelas tuas te morti miſero
Vel te interüſſe, vel perÿſſe prædicent,
Dum pereas, nihil interdico, dicant viuere.

Verſu poſtremo emendo, *Dum pereas, nihil interduo.* Nihil interdare, ſusque deque facere eſt καὶ ἀδιαφορεῖν. Sic idem Plautus ciccum, floccum non interdare in eadem ſignificatione vſurpat, Trinumo.

Sed enim tu qui ſis, qui non ſis, floccum non interduim.

Et Rudente:

Eluas tu an exungare ciccum non interduim.

Vbi, ne quid diſſimulem, malim legi, *Eluas tu an emungare.* Dixerat Charmides: *eho an te pœnitet*

In mari quod elaui, niſi hic in terra iterum eluam?

Alludens ad naufragium ſuum & formulam, qua decoctores & damnoſi bonis eluere dicũtur: cui ſubiiciens ſeruulus, mihi, inquit, ſusque deque eſt, bonis eluas, quod fortunæ aut luxus eſt; an hiſdem emungare, quod dolis & technis fieri norunt, qui Latinè ſciunt: & accidiſſet Charmidi, ſi veſtem mutare induxiſſet animum. Quamquam non negem ad frictiones & lauationes veterũ potuiſſe reſpexiſſe poëtam. Ita vt hoc in medio relinquo; ita, niſi admodum fallor, docti non negabunt rectè à me conſtitutum locum Captiuis: vt & hunc, eadem Scæna.

Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palàm,
Vſque offerre natum ſuis me ductarent dolis.

Ridiculè interpretatur Lambinus: atqui ipſi commentum placet. Langiani libri, *oferenatum.* tu lege, meo periculo: *offrenatum.* Offrenati dolis, qui veluti capiſtro ori iniecto dolis deuincti quolibet ductantur. Vſurpat Plautinæ elegantiæ diligens imitator Appuleius, libro De Aſino ſexto: *Hunc* (de Cerbero loquitur) *offrenatum vnius offulæ præda facilè præteribis.* Scæna quæ hanc præcedit:

Ita mihi ſtolido ſuis os ſubleuere offuciis.

eiuſdem Langij libri, *ſtolido vorſus os.* Corrigit Lãmbinus, *ſurſum vorſum.* ſatis audacter mehercule; & propius libros ſcriptos ego, *vorſutis os ſubleuere offuciis.*

CAPVT II.

Exſilij cauſa ſolum vertere. Fatiſcere. Cicero epiſtola ad Brutum emaculatus.

SVDIFFICILE eſt plurimis bonorum auctorum locis ſubodorari inculcatam lectionem & à genuina

nuina dignoſcere: ita veteratoriè ſæpenumero graſſata eſt correctorum licentia. Quin immò falleret ſæpenumerò & pro vera probaret, abſque teſtibus idoneis vetuſtè deſcriptis membranis eſſet. Eiusmodi, ſi quis alius, locus eſt Ciceronis ad Brutum & Caſſium, epiſtola D. Bruti. *Qui ſi ita ſe habet, vt quemadmodum audiebam de Græceio confligi cum eo ſine periculo non poßit: non ille mihi fugiſſe à Mutina videtur; ſed locum belli gerendi mutaſſe. Itaque homines alij fracti ſunt: nonnulli etiam conqueruntur, quod perſecuti non ſitis.* Sine ſuſpicione mendi, abſque libro veteri eſſet doctiſſimi viri & mihi amiciſſimi Godeſcalci Steuuechij: qui rectè, ſi quid iudico, legit, *ſed ſolum belli gerendi mutaſſe.* Qui exſulatum ierunt ſolum mutaſſe ſeu vertiſſe exſilij cauſſa dicuntur. Paradoxo IV. *Quos leges exſilio affici volunt, exſules ſunt, etiamſi ſolum non mutarunt.* Philippica V. *Habent enim legitimam excuſationem exſilij cauſſa ſolum vertiſſe, neque eſſe poſtea reſtitutos.* Ita hic perurbanè ait Antonium ſolum mutaſſe non exſilij cauſſa, ſed belli gerendi: ſic enim ſæpè loquitur omiſſo eo, quod de ſuo certatim adiecere correctores, *cauſſa.* Mox quæ ſequuntur plerique omnes MSS. ita concipiunt; *Itaque homines alij facti ſunt:* idque tuetur & explicat Manutius. Mihi tamen litterulæ traiectione eleganter emendari videtur, *homines alij fatiſcunt.* Fatiſcere eſt labaſcere & ab animi alacritate deficere. Tacitus: *Donec fatiſceret ſeditio & ſua quiſque in tentoria dilaberetur.* Sed viderint viri docti; quorum iudiciis & hoc & ceteras meas obſeruatiunculas libens meritò ſubmitto.

Capvt III.

A ſe ſpernere. Virtus. Maculam eluere. Fuſti pectere. Plautus Sticho correctus & Ennius apud Nonium.

Ad Plauti Captiuos, vnde modò diſceſſi, redeo. Scæna, Nunc illud eſt.

Nunc ſpes opéſque auxiliáque à me ſegregant, ſpernúntque me.

Propè eſt vt adfirmem ſcribſiſſe Plautum, *ſpernántque ſe.* Spernere diſiungere & ſegregare eſt. Exemplum Ennij laudat Nonius in hoc verbo, Hectoris lytris. *Melius eſt virtute ius. nam ſæpe virtute mali nanciſcuntur ius, atque æquum ſe à malis ſperni procul.* Corrigo & repono in numeros, *Melius eſt*

Virtute ius. nam ſæpe virtutem mali
Nanciſcuntur; ius atque æquum ſeſe à malis
Spernit procul.

Aurea planè ſententia, & quàm dolendum eſſet latuiſſe in corruptela diutius. Virtute intelligit robur & vires corporis. Gloſſarium vetus: *Virtus* ἀρετὴ, ἀνδρία, ἰσχύς, δύναμις: aut, certè animi inconſultam ferocitatem. Eadem Captiuis. Scæna Quanto in pectore.

HE. *Pol mærores mi antevortunt gaudiis.* ER. *noli iraſcier,*
Iam ego ex corpore exigam omnis maculas mærorum tibi.

Langius in MSS. ſuis repperit, *ex corpore exuam.* Non certius meridie lucere, quàm hîc ſcribendum, *eluam.* Eluuntur propriè è veſte maculæ: inde ad animum tranſtulit etiam Pœnulo:

Ineſt amoris macula huic homini in pectore
Sine magno damno quæ elui neutiquam poteſt.

Scæna

Scæna eadem.

Nam hercle niſi mantiſcinatus probè ero, fuſti plectito. Rectius iidem libri, *pectito.* Ita Menæchmis: *pecte os pugnis.* Et hinc *depexum dare* Terẽtio malo multare eſt.

Capvt iv.

Actores. Miluina. Externatus animi. Loca lautia. Reſtitutus Appuleius pluries.

Appvleii libro ſecundo in feſtiua illa narratione Telerephontis malè hæc vulgò leguntur:

> *Et conuerſa Philodeſpotum requirit auctorem, eique præcepit, bono cuſtodi redderet ſine mora præmium.*

Scribo, *requirit actorem.* Actores in ſeruilibus officiis, quibus peculium domini & rationes curæ erant: qualem ſe facit ille Aſinaria Leonida, *qui res rationéſque heri Ballionis curo, argentum accepto, expenſo, & cui debet dato.* Paullò pòſt:

> *Sic in modum ſuperbi iuuenis Adoni vel muſteluacis peplis laceratus & diſcerptus domo proturbor.*

Portentum verbi hoc quidem, muſteluacis: ſed vide, ſi rectè diuinaui, *vel miſelli Acis piplis laceratus.* Vt ob amorem inquit lacerati ſunt Adonus & Acis, alter à Marte in aprum conuerſo, à Polyphemo alter: ita ego petulantiam verbi, pugnis & piplis diſcerptus, lui. Mox:

> *Sic ille ſenex lamentabiles queſtus ſingulis inſtrepebat. ſæuire vulgus interdum, & facti veriſimilitudine ad criminis credulitatem impelli.*

In prioribus malim, *queſtus ſingultiens ſtrepebat.* Dixit enim paullò antè: *Voce contenta quidem, ſed aſſiduis ſingultibus impedita.* Poſteà certa emendatio eſt, *vulgus incertum.* Virgilius in re ſimili:

Sciditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Idem Appuleius libro III.

Tu ne vltima non ceſſas ſubinde lectorum iuuenum capillamenta ſubripere.

Neſcio an verum ſit, *Tu ne miluina*: vt ad rapacitatem eius auis alludat, vt & Q. Frater apud Ciceronem: *Renunciatur mihi Licinium plagiarium cum ſuo pullo miluino tributa exigere.* Ita Plautus vehementem cibi appetentiam miluinam nominat, ab eiuſdem auis edacitate. Menæchmis:

Madida quæ mihi appoſita in menſa miluinam ſuggerant.

Eodem libro.

Sic exterminatus animi attonitus in amentia vigilans ſomniabam: deſtrictis adeò diu populis an vigilarem quærebam.

Lubens legerem, *externatus animi.* Catullus:

———aſſiduis quam luctibus externauit
Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.

Poſtea ſcribo, *pupulis*: poſtulante ſententia. Aliquanto pòſt:

Atque ego rebar &c. equum illum meum hoſpitium ac loca lauta mihi præbiturum.

Lego, *loca lautia.* Innuit ea quæ Romæ legatis præbebantur loca lautia. Liuius XLVII. *Conſulti ab M. Iunio Cos. patres, ſtantibus in Comitio legatis, an loca lautia, ſenatúmque darent, nullum hoſpitale ius in iis ſeruandum cenſuerunt.* Et corruptus in hoc verbo etiam aliâs; ſed locus nunc non ſuccurrit; Appuleius.

CAPVT V.

Sparti. Tages. Emaculatus Cenſorinus, & fragmentum L. Attij.

LVCVLENTVS ſcriptor Cenſorinus eſt, quemque

que magnoperè intererat rei litterariæ minus aliquando depravatum manibus eruditis teri. In eo non longè à principio vulgò editur:

In quo non vt pleriſque mos eſt aut hic apertæ philoſophiæ præcepta ad beatè viuendum quæ tibi ſcriberem mutuatus ſum.

Optimus liber MS. paullò aliter, *aut ex hic apertè*. Manifeſta veritas legendum eſſe, *aut ex ethica parte philoſophiæ*: & id vincunt planiſſimè quæ inibi ſequuntur. Mox ſub finem capitis tertij:

Vt in Arcadia fertur regione Erichthonius humo exortus: & in Colchide vel Bœotia conſitis anguis dentibus armati partus.

Idem liber, *dentibus armatis partotoe*. Quod tamquam manu me duxit ad eruendum verum, *armati ſpartoe*. Spartoe, ſiue mauis σπαρτοὶ, mythologis non Græcis modò ſed & Latinis dicti fratres Cadmei & in Colchis ſatu dentium enati. Varro rerum humanarum XXV. *Ego Sparta apud Homerum non plus ſpartum ſignificare puto, quàm Spartos qui dicuntur in agro Thebano nati.* Meminit & Ammianus libro XIX. etiam Euripides cùm aliâs, tum Phœniſſis his verſibus:

χθὼν δ' ἀντὶ καρποῦ καρπὸν, ἀντί θ' αἵματος
αἷμ' ἢν λάβῃ βρότειον, ἕξετ' οὓς μέθηκε
γῆν, ἥ ποθ' ὑμῖν χρυσοπήληκα στάχυν
σπαρτῶν ἀνῆκεν. ἐκ γένους δὲ δεῖ θανεῖν
τοῦδ', ὃς δράκοντος γένυος ἐκπέφυκε παῖς.
σὺ δ' ἐνθάδ' ἡμῖν λοιπὸς εἶ σπαρτῶν γένους,
ἀκέραιος, ἔκ τε μητρὸς ἀρσένων τ' ἄπο.

Verſus penultimi tranſlatio L. Attij etiam nunc exſtat à Nonio conſeruata, in Antiquior:

Attius

Attius Phœniſſis ab dracontis: ſurpe amata exoratus ge-nere antiquior.

Quis non videt, quàm hæc corrupta? olim aliter, iam proximè ductum litterarum malo corrigere:

——ab dracontis es
Stirpe armata exaratus, genere antiquior.

Exaratus, ſi rem ſpectes, ἀναφυτὸς eſt. agrum enim conſitum qui dicit, eundem aratum, vt Grammatici loquuntur, adſignificat. Reponendum id verbum hoc quoque Cenſorini loco paucis interiectis verſibus:

Nec non in agro Tarquinienſi puer dicitur diuinitus exortus nomine Tages.

MS. *diuinitus exoratus.* Quis dubitet verum eſſe, *exaratus*. M. Tullius De Diuinatione II. *Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi cùm terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, extitiſſe repente & eum affatus eſſe qui arabat.* Vide porro quæ ſequuntur illico & Ammianum Marcellinum libro XXI.

CAPVT VI.

Tentio. Tentigo. Tendere. Mors Ariſtotelis. μοῖρα Morta. Ex eodem Cenſorino menda aliquot ſublata.

EIVSDEM Cenſorini, vbi de ſeminis profluentia philoſophorum controuerſas opiniones recenſet, locus ita vulgatur: *Hipponi verò Metapontino, ſiue, vt Ariſtoxenus auctor eſt, Samio ex medullis profluere ſemen videtur, idque eo probari quod poſt admiſſionem* (ita rectè MS.) *medullas vtpote exhauſtas non reperiat: ſed hanc opinionem nonnulli refellunt, vt Anaxagoras, Democritus, Alcmæon. hi enim poſt Gregum contentionem non medullis modò, verùm & adipe multáque carne mares exhauriri*

reſpon-

reſpondent. In quibus verbis, quid ſibi velint illa, *poſt Græcam contentionem*, nullus video: & mirum, ni vera eſt coniectura mea, *poſt gregum contentionem*, ſiue potius, vt Palmerio noſtro videbatur, *tentionem*. Vitiando loco fuit cognatio litterarum C. & G: quæ in multis promiſcuè & ſcribebantur & efferebantur. Sic eadem eſſe cerro, gerro; calbei, galbei; acetare, agitare ex Grammaticis notum eſt. Græcum ergo pro gregum antiquè ſcriptum cùm offenderet neſcio qui tenebrio, loco nebulam quam diſpulimus offudit. Tentionem accipio ὁρμὴν εἰς συνουσίαν. tendere enim in obſcænis eſt: vnde tendere qui libidinantur, & tentigo ὁ πριαπισμὸς in carmine Ithyphallico.

Idem Cenſorinus Capite V.

Ariſtotelem Stagiritenreperit: ſed hunc ferunt naturalem ſtomachi infirmitatem variáſque morbidi corporis offenſiones adeò virtute animi diu ſuſtentaſſe, vt magis mirum ſit ad annos LXII. *eum vitam pertuliſſe, quam vltra non pertuliſſe.*

Primùm τὸ *repperit* ſyllaba vltima in MS. in litura erat. vnde mihi ſuſpicio eſt fuiſſe, *reperio*. Repperat quod ſcribit lectione veterum βιογράφων: è quibus Diogenes prodidit Ariſtotelem cùm annos tredecim in Lyceo ſcholas habuiſſet, ſeceſſiſſe in Chalcidem, ibíque anno ætatis ſexageſimo tertio morbo eſſe confectum. Poſteà malim ſcribi, *quam vltrà non protuliſſe*. Suauior enim eſt παρονομασία & ſententia apertior. Mirum ait eſſe, perſeuerare in vita eo vſque potuiſſe; tantum abeſſe, vt etiam porro eam extendere potuerit.

Idem Capite IIX.

Nam vt aliæ occaſum aliæ ſtationem faciant, nóſque omnes

omnes hac ſua diſparilitate pariter afficiant ſolis fieri potentia.

Locus vix ſuſpectus vitij: ſed optimæ membranæ habent, *hac ſua diſparilitatem peritura.* Vnde non difficilimum fuit elicere: *diſparili temperatura.* Diſpariter aſtra temperata ſunt, ab iiſque nos omnes afficimur, ſed non pariter ſiue eodem modo, quod tinnit vulgata lectio, ſed diuerſimodè.

Idem Capite IX.

Sunt autem hæ particulæ in vnoquoque ſigno tricenæ, totius verò Zodiaci numero CCCLX. *has μέρη Græci vocant, & hæ particulæ nobis veluti fata ſunt.*

Plinius MS. *has μοίρας Græci cognominarunt: eò videlicet, quod eas fatales nuncupant μοίρας.* præclarè; leuiter tamen immuto, *quod deas fatales.* μοῖραι Parcæ ſunt. Apollodorus: ἐκ μὲν οὖν θέμιδος τῆς οὐρανοῦ γεννᾷ (ὁ ζεὺς) θυγατέρας, ὥρας, εἰρήνην, δίκην, μοίρας κλωθὼ, λάχεσιν, ἄτροπον. Addo iſthuc μοῖραν vetuſtiſſimos Latinos Mortam tranſtuliſſe. Liuius Odyſſea:

Quando dies adueniet, quem Morta profata eſt.

CAPVT VII.

Rata vota. Reſignare. Lana. Diſcingere. Emaculati verſus aliquot Martialis.

ELEGANS, meo animo, poëta Martialis, & è quo feſtiuitatis & eruditi leporis multum haurire eſt: fuiſſet tamen haud dubio aliquantò amplius, ſi morem maiorum æmulari, quàm ſæculum ſuum imitari; & ſua interdum quàm epigrammatum lingua loqui maluiſſet. In eius libro IX. quædam non magnæ rei quæ ſparſim notaui ſtudioſos poëtices non celabo.

Epigram-

Epigrammate XIIX.

Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras penſa breuéſque colus,
Hos tibi laudatos dominorum voce capillos
Ille tuus Latia miſit ab vrbe puer.

Verſu tertio in MS. erat quem ab optimo & eruditiſſimo theologo Iacobo Huttero habui, *domino rata voce.* Non dubitabis, quin ſcribendum ſit, *Hos tibi, laudatos domino, rata vota* c. Ratum votum, cùm is qui damnas voti eſt ſeſe exſoluit: quod hîc facit Earinus, miſſo ad Apollinem capillitio.

Epigrammate XXXVI.

Verba ducis Daci Cattis mandata reſignas
Victricem laurum quam venit ante vides.

Nihil principi Dacorum cum Cattis, & benè idem liber, *cartis mandata.* De epiſtolis poëtam loqui clamat verbum illis proprium, *reſignas.* Adeò, inquit, impudenter garrulus es Philomuſe & mendax, vt principum quoque remotiſſimorum ſecreta litteris commiſſa non ignorare videri velis.

Epigrammate L.

Dum noua, dum nitida fulgebat ſplendida lana,
Dúmque erat auctoris nomine digna ſui.

MS. *leua.* Suſpicor reponendum eſſe, *læna:* quod integumentum exterius eſt, & ab ea parte ſplendor togæ conſpicuus.

Epigrammate CIV.

Peltatam Scythico diſcindit Amazona nodo:
Addidit Arcadico terga leonis apro.
Aeripedem ſyluis ceruum, Stymphalidas vndis
Abſtulit, à Stygia cum cane venit aqua.

Optimè MS. *diſcinxit Amazona:* hoc eſt, vt interpretatus

tatur Auſonius: *Threiciam ſexto ſpoliauit Amazona balteo.* Deinde idem liber habet, *Stymphalidas aſtris:* ad hiſtoriam aptius. nam volantes eas Hercules deiecit. Seneca:

Solitáſque pinnis condere obductis diem
Petiit ab ipſis nubibus Stymphalidas.

Neque tamen malè vulgati. Stymphalum enim fl. iſtæ furiæ habitabant.

CAPVT IIX.

Exefficio. Curioſi, prouerbium. Correcta fragmenta Afranij & Nauij: & illuſtratus Plautus.

NONIVS in Extundo.

Afranius Epiſtula. Atque adeo extundo, ex officio datur mihi cuſtodiendus.

Repone verbum antiquum, *extundo, exefficio*. Truculento: *Numquam hoc vno die exefficias opus.*

In Contendere.

Afran. Epiſt. Non licet me qua contendiſſet ita peruenire.

Editio vetus, *contendiſſem*. Diuido verbum & lego, *qua contendi ſemita.*

In Serius.

Afran. Priuigno. Non ego te noui triſtem, ſeruum, ſerium.

Malim, *triſtem, toruum, ſerium:* aut certè, quod G. Stewechio placebat, *ſæuum*.

In Caries.

Afran. Priuigno. Nemo illa viuit carie carioſior.

Rectius MS. *curioſior*. Curioſi, vulgi dicterium in graciles & macilentos: quaſi ij curis ſemet conficerent & macerarent. Hoc adieci, vt illuſtrarem locum Plauti Aulularia.

Etiam

Etiam agnum miſi. E V. *quo quidem agno ſat ſcio*
Magis curioſam nuſquam eſſe vllam beſtiam.
M E. *Volo ego ex te ſcire qui ſit agnus curio.*
E V. *Qui oſſa atque pellis totuſt, ita cura macet.*

In Timos.

Næuius Lycurgo. Iam ibi nos aduenientes duplicant timos vapóſque.

Corrigit Iunius, *timos Panos*; & intelligit τὸ πανικόν: quod manes eius me condonent, non rectè. Potius litteris tranſpoſitis legendum, *timos pauóſque*. Vtrumque in exercitu formidoloſum eſſe indicant templa Romæ, Pauori & Pallori iam inde à Tulli regis temporibus ſacrata, & Salij Pauorij & Pallorij iræ horum dæmonum auerruncandæ inſtituti.

In Melos.

Næuius Lycurgo. Suauè ſummum melos.

leue mendum, ſed quod pleroſque fugit: corrige, *ſuauiſonum melos.*

CAPVT IX.

Reprehendere. Omnes inimicos repperire, prouerbium. Raui. Correctus Plautus Epidico, Terentius Andria.

NON abs re Epidicum ſuam tantoperè amauit ipſe Plautus, fabulam inuentione arguta, ſermone terſo & facetiis affluenti: tum omni arte ſcænica expolitam. Eius primo ſtatim verſu:

Heus adoleſcens. T H. *quis properantem me prehendit pallio?*
E P. *Familiaris.*

Libenter correxerim, *properantem reprehendit*. Reprehenduntur propriè, quos in via aſſecutos prehenſo pallio remoramur, aut ſerui fugitiui, cùm è fuga retrahun-

trahuntur. Milite: *Vel illa quæ me here pallio reprehenderunt*. Bacchidibus:

Aufugero herclè, ſi magis vſus venerit,
Si ero reprehenſus, macto ego illum infortunio.

Inde tranſitione in aliud ſe reprehendere Terentio eſt animum iam iam exiturum quo non opus eſt velutí retrahere. Adelphis:

Senſi illicò, id illas ſuſpicari: ſed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem ac fieret palàm.

Ita optimum fragmentum Colonienſe, omninò melius quàm editi libri, me repreſſi tamen. quod quia tritius eſſet à ſciolis huc inculcatum apparet.

Scæna, Rem tibi ſum.

Qui inuident, omnis inimicos mihi iſthoc facto repperi.

Non me fugit, ſententiam hinc elici non incommodam. Placet tamen impenſius, *Quin vide, omnes.* & id aptius ad conſecutionem orationis eſt. Prouerbialiter iactabant, omnis ſe inimicos repperiſſe, ſi quam rem aduerſus multorũ, ſuorum inprimis ſententiam aggreſſi eſſent. Terentius:

Per omnis tibi adiuro deos, nunquam eam me deſerturum,
Non ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omnis homines.

Scæna, Malè morigerus.

ST. *Ego te ſeruabo.* EP. *ædepol ne illi melius, ſi nacti fuant.*

Sed quis eſt hæc muliercula & illic rauiſtellus qui venit.

Non heri aut hodie primùm de hoc loco diſceptatum: ſed iam ante Feſti tempora, quantum video. quid enim aliud cauſſæ arbitremur, cur ille hîc modò grauaſtellus agnoſcat, modò rauiſtellus? vtrumque certè explicat; cùm alterutrum tantùm verum eſſe poſſit. Mihi, ſi fas eſt contra veterum Gramma-

ticorum

ticorum auctoritatem niti, ſuſpicio adheſit, fortean olim fuiſſe:

Sed quis eſt iſthæc muliercula & illic rauus: ellus qui venit.

Rauus cui canitie caput iam interſpergitur. vnde rauam lupam Horatius dixit pro cana: & Varro, oculos rauos, pro glaucis ſiue cæſiis. Ellus δεικτικὸν eſt, vt in Terentio:

Neſcio qui ſenex modò venit: ellum, confidens, catus.

ad quem locum operæ erit videre, quæ notârit Donatus. Hanc tamen coniecturam meam vt veram eſſe non præſto: ita fraudi mihi apud viros bonos & eruditos futurum non ſpero, quid mihi leuiter videretur indicaſſe.

CAPVT X.

Tempori. Magis magíſque. Scuta proiecta. Emaculata fragmenta Siſennæ.

IN L. Siſenna magnam iacturam fecerunt Romanæ litteræ, non ſolùm hiſtoriæ cauſſa, qua vicit omnes ſuperiores: ſed etiam linguæ ipſius, cuius bene gnarum fuiſſe & Cicero teſtatur & indicio ſunt fragmenta quaſi guſtus cuiuſdam cauſſa relicta nobis in libris Grammaticorum. In iis hæc obſeruabam.

Nonius in Manipulus.

Siſenna lib. I I I. *Conuictus tamen & tempora ſingula conſtituit, & manipulos ſicut ſteterat obuerti iuſſit.*

Emendo, *& tempori ſigna conſtituit e. m. ſ. ſteterant.* Tempori ſæpè idem quod numero & celeriter. Rudente: *Vigilare hominem oportet, qui ſua vult tempori conficere negocia.*

 In Diſ-

In Diſcedere.

Siſenna Hiſtor. IV. *Armata dextra ducti magiſque in latitudinem diſcedunt.*

Scribendum, *Armati d. d. magis magíſque in latitudinem.* Elegans ea geminatio, & frequens optimo cuique ſcriptorum veterum. Ad quod exemplum Aulularia Plautus vſitauit, plus plusque: minus minúſque.

Plus plúſque iſthuc ſoſpitent quod habes. Et:

At ille verò minus minúſque impendio
Curare minúſque me impertire honoribus.

Itaque haud ſcio ánne exciderit vocula apud Terentium Eunucho:

———*& quia conſimilem luſerat*
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi.

ſcribendumque ſit, *impendio magis magíſque.* Certè eam lectionem neque numeri excludűt, & ſententia propè flagitat. Sed ad Siſennam redeo.

Macrobius Saturnal. VI. IV.

Sed & Siſenna in ſecundo dixit. Et Marſi propius ſuccedunt, atque ita ſcutis proiectis tectis ſaxa certatim lenta manibus coniiciunt in hoſtes.

Corrigo, *ſcutis proiectis tecti ſaxa certatim lecta manibus.* Proiecta ſcuta dixit obtenta & obiecta ictui hoſtium, & ita accepiſſe Macrobium docet verſus Virgilij: *proiecto dum pede læuo Aptat ſe pugnæ.*

CAPVT XI.

Oram orationis adhibere. Ora pro rei initio. Miles Plauti emendata.

MILITE, Scæna Mihi ad enarrandum.

Ego

Ego quanto citius poſſum mihi nauem paro.

Suſpicor reponendum verbum vetus, *Ego quantocyus poſſum.* Mox:

Vbi ſumus prouecti in altum, id quod volunt,
Capiunt prædones nauem illam vbi vectus fui.

Nugæ ſermonis, *id quod volunt.* quis enim exiſtimet eos noluiſſe capere nauem, quam adorirentur? Cenſeo corrigendum eſſe, *illicò aduolant Prædones, capiunt.* Fons corruptelæ vicinitas litterarum D & L, & C & Q.

Scæna, Rem omnem.

———meretricem commoneri
Quam ſanè magni referat mihi clam eſt. quin ego me fruſtro
Poſtquam admiſère aures tuæ meæ moram orationis
Tibi dixi, miles quemadmodum potis eſſet deaſciari.

Rectè è veſtigiis Vaticani elegantiſſimus Lipſius, *Poſtquam adbibère:* ſententia tamen nihilo magis aperta eſt, quàm immutatione non magna præclarè (quid enim vetat dicere, quod ſentio?) reſtitui:

———meretricem commonêri
Quàm ſanè magni referat, nihil clam eſt. quin ego vltrò,
Poſtquam adbibêre aures meæ tuæ oram orationis,
Tibi dixi &c.

Meretricem, ait, in maleficio monere nihil opus eſſe, palam eſt; vtpote quæ omnes moles maleficas domi habet. Etenim me vide, quæ tibi, ſimul exorſus es narrare de circumueniendo milite, vltrò modum eius rei perficiendæ oſtendi. In prioribus editiones veteres expreſſi; vnum dumtaxat auſus ex *fruſtro* facere *vltrò:* quod & ſententia, & numeri flagitant, neque ita longè abit ab alterius vocis veſtigiis. Neque morari hîc lubet, dum oſtendam quàm ineptè

hactenus libros obſederit, *mora*. Orationis oram adbibere eſt ſermonem deguſtare: tranſlatione à ripis quæ aquam imbibunt venuſtiſſimè ducta. *Et eſt ora non tantùm terræ, ſed cuiuſcumque rei initium*, ait Feſtus. Cæcilius:

Oram reperire nullam, quam expediam, queo.

Ennius:

Qui potis ingentis oras euoluere belli.

CAPVT XII.

De ſilicernio notata quæpiam. λίχνοι. *Rapere de rogo cænam. Buſtirapi. Correctæ gloſſæ veteres. & apud Nonium Varro.*

SILICERNIVM notum eſt conuiuium funebre fuiſſe: illud fortaſſis non perinde manibus defuncti ab exſequiis oblatum, neque fas fuiſſe deguſtare ex eo quidquam, qui intuliſſent; ſed tantùm cernere ſilentio: vnde veriloquium eius nonnulli deducunt. auctor in Adelphos Donatus, & Gloſſarium vetus: *Silicernium*, περίδειπνον. λύχνοις γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις. Arbitror enim litterulæ mutatione rectè reſtitui, λίχνους. οἱ λίχνοι Heſychio ὀψοφάγοι ſunt: ij aderant quidem, ſed nihil guſtabant. Cauſſa cur abſtinêrent, ne funeſtarentur. nam quiſquis eorum quæ manibus libantur quippiam ſiue ederit ſiue biberit, funeſtatur. Inde in maledictis & exſecrationibus, cænam è rogo rapere. Catullus:

Vxórne Meni, ſæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cænam:
Cùm deuolutum ex igne proſequens panem
A ſemiraſo tunderetur vſtore.

Tibul-

Tibullus:

Ipſa fame ſtimulante furens eſcáſque ſepulcris
Quærat & à ſæuis oſſa relicta lupis.

Et qui lucri cauſſa nefanda omnia ſubire non verebantur, buſtirapi audiebant. Pſeudolo:

——iam ego te differam dictis meis
Impudice. BA. *ita eſt.* PS. *ſceleſte.* BA. *dicis vera.* PS. *verbero.*
BA. *Quippini.* PS. *buſtirape.* BA. *certè.* CA. *furcifer.*
BA. *factum optumè.*

Neque verò in ipſis tantùm exſequiis conficiebatur ſiliсernium: ſed inſtaurabatur quotannis eſcis ad ſepulcrum poſitis, vino defuſo & roſis quoque ſparſim profuſis. auctor Seruius in quintum Æneidos, & inſcriptio vetus Torcelli:

LONGIVS . PATRO
CLVS . SECVTVS
PIETATEM . COL
CENT . HORTOS
CVM , AEDIFICIO
HVIC. SEPVL. IVNC
TO. VIVOS. DONA
VIT. VT. EX. REDI
TV. EOR. LARGIVS
ROSAE. ET. ESCE
PATRONO. SVO. ET
QVANDOQ . SIBI
PONERENTVR

Diſſentit tamen à Donato Seruius in eo, quod à ſeni-

 bus

bus abſumtum ait, & dictum quaſi ſilicænium. Eius Varro meminit Meleagris, vt laudat Nonius. *Funus exſequiati cum laude ad ſepulcrum antiquo more ſilicernium confecimus.* Ita in MS. repperit Iunius: correxi iam olim, *cum lauſo.* Tria in omni funere præcipua nominat, exſequias, lauſum ſiue, vt nunc enunciamus, leſſum, & ſilicernium.

Capvt XIII.

Mundus. In mundo eſſe. Satullè. Emaculatus Appuleius: item Plautus Perſa, & Gellius.

Appvleivs libro De Aſino IV.

> *Ad hæc anus ſubiratior dicere eam ſæuiore iam vultu iubebat, quod malum fieret, vel quid repentè poſtliminio preſſæ quietis lamentationes licentioſas refricaret.*

Scribo haud dubia veritate, *quid (malum) flêret.* Idem libro ſexto primore:

> *Erant & falces & operæ meſſoriæ, modus omnis, ſed cuncta paſſim iacentia, & incuria confuſa.*

Lego, *& operæ meſſoriæ mundus omnis.* Mundus non muliebris tantùm ornatus, ſed cuiuſuis rei promta & parata copia: vnde vulgatum loquendi genus in mundo eſſe, de eo quod in promptu & domi ad manum eſt, nec quærendum foris. Ita Plautus mundum ruſticum dixit pro hiſdem rei ruſticæ inſtrumentis. Mercatore:

> *Multoperè in mundo ruſtico ſe exercitum.*

Eodem libro:

> *Quo metu ſtatim completo cæleſti theatro pro ſede ſublimi ſedens procerus Iuppiter, ſic enunciat: Dei conſcripti Muſarum aluo.*

Facillima correctio eſt, *Muſarum albo.* Notum eſt

albo

albo ſignificari libros magiſtratuum. vt igitur Romæ in tabulas à cenſoribus referebantur, qui in ſenatum lecti, ideoque patres conſcripti eſſent: ita deos iſtos poëticos iocoſiſſimè ait in albo Muſarum cenſeri; vtpote qui commentum poëtarum ſint. E diuerſo Plauti locum emēdandum cenſeo Perſa. Scæna, Veterem atque antiquum.

Si id fiat, næ iſti faxim nuſquam appareant,
Qui hîc albo rete aliena oppugnant bona.

Rectius enim legetur, meo iudicio: *Qui hîc aluo rete a. o. b.* Cauſſidicos & forenſes rabulas aluo tamquam reti vti ait, & vt in hoc piſces iniguntur: ita in illam bona eos aliis erepta obſtrudere & conſumere.

Idem Appuleius lib. VII.

Tuceta concinnat, apponit ſatulè, ſed præcipuè poculis crebris grandibúſque ſingulos ingurgitat.

Lego, *apponit ſatullè.* Satullè eſt copiosè & affatim. ſatullare vetuſtè ſatiare eſt. Varro περὶ αἱρεσεῶν: *Neque in puluere mythico coquam carnes quibus ſatullem corpora ac famem ventris.*

Eodem libro:

Totis ergo prolatis eruditíſque rebus & nobis auro & argento ceteríſque onuſtis.

Legendum, *erutíſque rebus.* Eruerant res à latronibus occultatas atque abditas.

Paullò pòſt:

Puérque mihi præfectus imponitur. Omnibus quidem ille puer deterrimus.

Vera ſcriptura, vt opinor, eſt: *Omnimodis q. i. p. teterrimus.* Et ita propemodum locum A. Gellij conſtituo lib. II. cap. XIIX. *Ex quibus latenter intelligas, non omnes modò diis exoſos eſſe, qui in hac vita cum ærumnarum varietate colluctantur.* Corrige, *non omnimodò.*

Eodem libro extremo:

Cui tandem vel ineptiſſimo perſuadère poſsis, atrocitatem iſtam culpa vacare: cùm propugnare pedibus & arcêre morſibus miſello puero potueris.

Liquet mihi deierare, ſcribſiſſe Appuleium: *& arcêre mordicibus*, & reſpexiſſe Plauti illud Aulularia:

Aſini me mordicibus ſcindant, boues incurſent cornibus.

CAPVT XIV.

E Quintiliano maculæ aliquot ſublatæ.

VSVS ſum peruetuſto M. Fabij libro, beneficio optimi & humaniſſimi viri Melchioris Hittorpij, deſcripto quidem eo vitioſiſſimè; ex cuius tamen veſtigiis multa bonæ lectionis veluti veſtigia ſagaciter odoranti ſeſe offerant. Argumento erunt paucula quędam ex libri ſexti proœmio:

Te ne conſulari nuper adoptione ad omnium ſpes honorum patris admotum, te auunculo Prætori generum deſtinatum, te omnium ſpe Atticæ eloquentiæ candidatum, ſuperſtes parens tantum ad pœnas, amiſi?

Primis verbis melius ille, quem dixi, liber: *prius admotum.* Neque enim Quintilianus honoribus vrbanis floruit; at adoptione conſulari ait filium ſuum paullò antè quàm moreretur in ſpem honorum veniſſe. Poſtea idem liber: *te omnium ſpe acutis eloquentiæ candidatum.* Facilis erat emendatio, *ſpe ac votis*: at iſti correctores Atticam eloquentiam ſomniarunt.

Paullò pòſt:

Boni autem conſulere noſtrum laborem vel propter hoc certum eſt, quòd in nullum iam proprium vſum perſeueramus: ſed omnis hæc cura ad alienos, vt alienis vtilis (ſi modò quid vtile ſcribimus) ſpectat.

MS. *vel propter hoc cecum eſt.* Emendo, *æquum eſt.* Poſtea, *ſed omnis hæc curas alienas vtiles, ſi modò &c.* Vnde haud difficulter elicui, quod verum arbitror: *ſed omnis hæc cura alienas vtilitates.* Adiicit deinde:

Nos miſeri ſicut facultates patrimonij noſtri, ita hoc opus aliis præparamus, aliis relinquemus.

In MS. erat *præparabamus.* Suſpicor ſcribſiſſe Quintilianum, *properabamus.* Certè elegantius non potuit. Catullus:

Cum Medi properare nouum mare. Plautus Caſina:

Hanc tibi nunc veniam minus grauatè propero.

Properaſſe autem hos commentarios ſe metu mortalitatis ſuæ ait ipſemet hoc ipſo proœmio non longè ab initio.

CAPVT XV.

Pigmenta. Frumen ſiue rumen. Fruniſci. Ruminari. Irrumare. Varronis fragmenta aliquot correcta: duo compoſita.

E VARRONIS Marcipore Nonius adducit, in Conſcribillare:

Aſtrologi non ſunt qui conſcribillarunt pingentes cælum.

Malim, *pigmentis cælum.* Species intelligit animantium, quas in cælo finxerunt Mathematici, pinxerunt & pigmentis ſuis illuſtrarunt pictores.

In Optare:

Diogenes qui amicos qui iuſſus ab Alexandro rege, optare quid vellet, ſe facturum.

Corrigo, *Diogenes Cynicus, qui.* & mox: *optare; quidquid vellet, ſe facturum.* Notum votum philoſophi eſt, relatum à Plutarcho, ne ſibi apricanti officeret Alexander.

In Of-

In Offendere.

Dein mittit virile veretrum in flumen: offendit buccam Volumnio.

Flagitioſa ſententia eſt: ſed ſcribſit tamen Varro, *Dein mittit virile veretrum in frumen.* Frumen ſiue rumen eſt pars colli qua eſca deuoratur, inquit Feſtus: & inde ducta fruniſci & ruminari; etiam irrumare, quod quid ſit me docēre piget: hîc certè nimium Romanè à Varrone explicatum eſt. Ex eiuſdem Manio quæ laudat Nonius in Altus, Proſpiciens & Limus, ita olim coheſiſſe non dubito:

Habes antepoſitam alimoniam ſedens, altus alieno cibo, neque pòſt reſpiciens, neque antè proſpiciens: ſed limus intra limites culinæ.

Acris obiurgatio deſidiæ eſt: poſtremis verbis alluſum videtur ad Ocni fabulam, qui obliquus funem torquet, & aſinum ſpartum admordentem præ ignauia non abigit.

CAPVT XVI.

Eſcendere. Exſcendere. Neruias extendere. Cicero, Varro, Feſtus, Cæcilius emendati.

ASSENTIOR doctiſſimis viris multa ſcribſiſſe M. Tullium more maiorum; hoc eſt, vetuſtè & minimè ad captum noſtræ ætatis litteratorum: quorum in libris nec vola nec veſtigium, quod dicitur; cùm auorum neglegentia, tum bonam partem audacia correctorum. teſtem dabo locum ex Officiorum lib. III.

Conſcribſerunt communiter edictum cum pœna atque indicio, conſtituerúntque, vt omnes ſimul in roſtra poſt meridiem deſcenderent.

Quid, malum, hoc monſtri? in ſuperiorem locum vt deſcendatur? nuſquam factum reperies: & non certius

tius fuiſſe Ciceronem, quàm eundem hic ſcribſiſſe, poſt meridiem eſcenderent. qui dubitat, ſimilem locum videat Oratione pro lege Manilia, ſiue; eadem enim eſt; de imperio Cn. Pompeij:

& his temporibus non pudebat magiſtratus populi Romani in hunc ipſum locum aſcendere.

Vbi liquidò habet liber ſcriptus, qui Coloniæ in æde maxima publicitus ſeruatur: *& his temporibus nónne pudebat m. p. R. i. h. i. locum eſcendere?* & ſenſu & verbis longè melius & agitur de iiſdem roſtris. In eodem verbo ſæpe peccatum in Varrone De lingua Latina. nos exemplo vno contenti erimus libro IIII. *Tertius gradus eſt, quo philoſophia aſcendens peruenit.* In MSS. repperer unt viri docti *deſcendens.* Scribe mea fide, *eſcendens.* Addam locum Epiſatomo, quem Priſcianus adducit libro VII.

Si properas extende huc in meam nauem, ita celeris eſt.

Lego enim & hîc, *eſcende:* aut certè, *exſcende.* nam in hoc verbo & Feſti mutilatum locum corrigo: *Excedere, egredi.* vbi MS. Colonienſis, *Eſcendere:* emendo, *Exſcendere.* Vt autem Cæcilij verſu extendere migrauit in alienum, ita ſuis ſedibus emigrauit in Varronis Satura ὄνῳ λύρας, apud Nonium Neruiæ.

Scientia doceat, quemadmodum in pſalterio eſt, tendamus neruias.

Repono, *extendamus.* Neruias extendere eſt intendere ſiue concinnare fides. Hæc commodùm ſcribſeram, & communicaram cum amœniſſimi ingenij iuuene Gabriele Rolandio, familiari meo: cùm animaduerti eodem modo ex Vaticano emendaſſe locum illum ex Officiis M. Muretum. Quid quæris? gauiſus ſum non mediocriter poſſe & nobis pro ſententia excidere, quod doctis placeat.

CAPVT

CAPVT XVII.

Flectere comam. Prata. Candida. Trita. Colere. Emaculata multa in Martiale.

MARTIALIS libro II. Epigrammate XXXVI.

Pectere te nolim, ſed nec turbare capillos;
Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.

liber ſcriptus, *Flectere*: rectè, ſi quid iudico, hoc eſt, intorquêre calamiſtro. Ita libro ſequente ex manuſcriptis lego:

Bellus homo eſt flexos qui digerit ordine crines,
Balſama qui ſemper cinnama ſemper olet.

Cincinnati capilli & calamiſtrati Martiali non placent; vt neque impexi & horridi: compoſiti & pexi, quod inter illa duo tamquam medium eſt, non diſplicent.

Epigrammate XLVI.

Florida per varios vt pingitur Hybla colores,
Cùm breue Sicaniæ ver populantur apes:
Sic tua compoſitis pellucent prela lacernis,
Sic micat innumeris arcula ſynthesibus.
Atque vnam veſtire tribum tua vellera poſſunt,
Appula non vno quæ grege terra tulit.
Tu ſpectas hiemem ſuccincti lætus amici,
Prò ſcelus! & lateris frigora trita times.

Verſu tertio MS. *ſepoſitis collucent prata lacernis.* melius omninò. Lacernæ ſepoſitæ ſunt impares, quæ rarò ſumerentur: quarum affluenti copia ſubindicat multitudinem parium ſiue quottidianarum: & eleganter prata appellauit thecas, in quibus parata veſtimentorum copia, vt in prato ruſtico graminum. Mox bene idem liber, *tua candida poſſunt*: non vt vulgò, *vellera.* Candida abſolutè togæ candidæ ſunt: ita paullò

paullo inferius trita dixit pro veſte depâni & attrita.

Pexatus pulcrè rides mea Zoile trita.

& bellè lacernis, quæ vulgò pullæ erant, togas ſubiicit; quæ albæ aut candidæ. Verſus poſtremus,

Prò ſcelus! & lateris frigora trita times.

benè habet, teſtibus libris veteribus & ſententia. Cùm enim trita ita frequentarent, vt modò diximus: argutiſſimè vocauit frigora trita veſtes, quæ laceræ frigus vndique admitterent. Ita libro VII.

Eſſe queror gelidáſque mihi tritáſque lacernas.

Latus pro ſodali & congerrone aſſiduo vſitauit & libro VI.

Inter Baianas raptus puer occidit vndas
Eutychus ille tuum Caſtrice dulce latus.
Hic tibi curarum ſocius, blandúmque leuamen,
Hic amor, hic noſtri vatis Alexis erat.

Epigrammate LV.

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum eſt tibi; quod iubes colère.

Mancum epigramma publicatur, ſupplendum addito verſu ex libris ſcriptis:

Sed ſi te colo, Sexte, non amabo.

Colere terebant pro ſalutare & adſectari patronos & amicos primores ſiue magnos. Cicero pro Cælio: *Quo facilius & noſtras obire domos, & ipſe à ſuis coli poſſet.* Trahebatur autem & in rem amorum, & idem erat quod arari, Truculento:

——— qui arari ſolent ad pueros ire meliuſt.

In hac ambiguitate luſiſſe poëtam ſuſpicor.

CAPVT XIIX.

Riuales. Luna aqulenta. Varro apud Nonium correctus.

M. VARRONI hoc capite operam dabo, ſed

ſaltuatim & vellicatim, vt ait ille. Nonius in Maceſcebat.

Varro Serr. περὶ ἀρχαιρ. Noſter Atticus riualis homo iturus in curiam commaceſcebat.

Lego, *Noſter antiquus riualis domo iturus.* Riuales, qui vno riuo vterentur; vicini. Ita verti poſſent Athenienſium φράτορες, ſiquidem origo vocis ἀπὸ τῶν φρεάτων ducta eſt. In Nobile.

Varro περὶ αἱρέσεων. Tum contremula aquilenta apud alta littora Oriris ac reluces nobilis omnibus.

De luna ſcripti delicatiſſimi trimetri ſunt. Principium leuiter corrigo, *Tu cum tremula, aquulēta.* Aquulentam dixit proprio epitheto, quòd humorem terris inducat. In Cædere.

Varro Eumenid. *Maximum dum cadit ferro ſed cadere Vlyſſem*
Cum bacca ſyluam cadit porcóſque trucidat.

Emaculandum haud dubiè, *Aiax dum credit ferro ſe cadere Vlyſſem*. de Aiace furente ἐν μαστιγοφόρῳ ſermo eſt. In Bellum.

Varro ταφῆ μενίππου. *In charteo ſtadio ἐπιταφίων lego, à quo qui certaſſet animo, bellus homo magis delectatus Stoicorum pancratio, quàm athletarum.*

Neſcio an ſcribſerit Varro, *Agone certaſſet animi belliſſumo.* Belliſſimum agona dicit eſſe cultum animi & doctrinæ ſtudium.

In Stare.

Varro Flextabula. *Atque ſi addam, quanta miſericordia mea heredibus meis ſtet, quod miſeros ſubleuauerim.*

Scribo, *quanti m. m. heredibus meis ſtet: quot miſeros ſ.*

In Rutuba.

Varro Sexageſimo. *Ergo tum Romæ parcè puréq. pudentes Viuere tum in patriam nunc ſumus in rituba.*

Verſu poſteriore lego *Vixere in patria.* Adeò ait degeneraſſe morem maiorum, vt ipſa Roma iam Roma non ſit, ſed ſcelerum colluuies.

CAPVT XIX.

Βοῦς ἐν πόλει, prouerbium. Deſpectare. Hiſcere. Martialis emendatus.

AD Martialem, vnde modò diſceſſi, redeo. lib. I. Epigrammate LXXVII.

Quid tibi cum Cirrha, quid cum Permeſſide lympha?
Romanum propius diuitiúſque forum eſt.
Illic æra ſonant. at circum pulpita noſtra
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

Omnino melius liber ſcriptus: *ad circum & pulpita noſtra.* Recenſet loca poëtis veluti conſecrata, circum, in quo ludi fiebant & ſpectabantur fabulæ; pulpita, è quibus recitabãtur poëmata; cathedras Grammaticorum, è quibus explicabantur. Et vrbanè virum diſertum à ſcribendo poëmate deterret, cui vberior quæſtus in foro propoſitus ſit. Contrà cauſſidicum infantem, à foro ad verſus vt inopiæ ſubſidium confugientem lepidè ridet in Apophoretis.

Lemmate, Corculum.

Pauper cauſſidicus nullos referentia numos
Carmina cùm ſcribas, accipe cor quod habes.

Lemma aliter concipiunt libri ſcripti, & vetuſtè editi: *Cor bubulum.* Rectè, ni fallor: & alluſit ad parœmiam βοῦς ἐν πόλει, cùm rem vrbanam & lepidam aggreditur homo agreſtis, & rus merum, quique ei perficiendæ parum idoneus eſt. Mittit igitur iocosè cauſſidico cor, ſed quale is cui mittitur habet ſtupidiſſimi animantis.

Epigrammate LXXIX.

Nec tamen obſcuro pia polluit ora veneno,
Dimiſitq́ animam nobiliore via.

MS. *palluit ora veneno*. præclaré. Venenum pallorem inducit, vnde Virgilius de Cleopatra, *pallentem morte futura*.

Epigrammate XCVII.

Rogabit, vnde ſuſpicer mollem virum.
Vnà lauamur, adſpicit nihil ſurſum:
Sed ſpectat oculis deuorantibus draucos.

Scripti, *Deſpectat*. Deſpicere in flagitioſis verbis eſt: vt deſcendere, Catullo; demiſſo capite eſſe, Ciceroni; aliis alia.

Libro V. Epigrammate LVII.

Cui tradas Lupe filium magiſtro
Quæris ſollicitus diu, rogáſque.
Omnes Grammaticóſque rhetoráſque
Deuites moneo, nihil ſit illi
Cum libris Ciceronis aut Maronis,
Famæ Lucilium ſua relinquat.
Si verſus facit, abdices poëtam.
Artes diſcere vult pecunioſas?
Fac diſcat citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingenî videtur,
Præconem facias vel architectum.

Viueret Orbilius, malum Martiali in mundo eſſet. quis enim ita vmquam locutus eſt? *diſcat citharœdus*, pro diſcat cithara. Sed aut ego vehementer erro, aut à librariis hoc ſtigma inuſtum eſt poëtæ, legendumque, *Fac hiſcat citharœdus*. Hiſcere conatum loquendi magis ſignificat, quàm loqui. Virgil. *vix pauca furenti Subiicio, & raris turbatus vocibus hiſco*. transfertur ad rem Muſicam venuſtiſſimè. Propertius: *Tantum operis ner-*

ris neruis hiſcere poſſe meis. Idem alibi de Apolline cum cithara ad viuum depicto, *viſus Marmorea tacitus carmen hiare lyra.* Argutè igitur Martialis, fac, inquit, rude quiddam & indoctum tentet ſaltim cithara pangere, præſtabo, eum rem facturum.

CAPVT XX.

Carmen. Carminare. Plautus emendatus Menæchmis.

PLAVTVS Menæchmis, Scæna Per ego vobis.

Bene autem ora commentaui, atque ex mea ſententia.

Mira ſunt quæ hic viri docti cominiſcuntur, de mento & commentatione. Ego ſi exemplum haberem, lubens legerem, *ora carmentaui*, aut certè, *carminaui*. Vt ab argumento argumentari: ita à carmento, quod inſtrumentum lanæ putandæ proprium, carmentari, aut, vt hîc Plautus, Carmentare, videtur fuiſſe in vſu. Certè vſitata in eadem re, carmen & carminare. Lucretius: *quaſi carmine lana trahatur.* Plinius libro IX. *Quinisq́ lana potat horis, rurſúſque mergitur carminata, donec omnem ebibat ſaniem.* Benè, inquit ſeruus, illis os depexui & quaſi lanam carminaui: alludens ad id quod Menæchmus dixerat, *Pecte os pugnis.* Hanc tamen emendationem meam veram non præſto, vt neque illam ſuprà, Scæna, Vt ætas mea:

Sed hæc res mihi in pectore atque corde curæ eſt
Quidnam hoc ſit negocij.

leuiter tamen ſuſpicabar ſcribſiſſe poëtam, *Sed acris mihi in p. a. c. cura eſt.* Scæna, Si voltis oculos.

O ſalue inſperate multis annis poſtquam conſpicor,
Frater. . . . .

Ita omnes libri, cùm perſpicuè verum ſit, *multis annis poſt quem.*

CAPVT XXI.

Tria Varronis fragmenta apud Nonium compoſita.

DONATVS Probum ait memoriæ prodidiſſe à M. Varrone traditum pueros initiari ſolitos Eduſæ & Potinæ & Cubæ diuis edendi, & bibendi & cubandi. vbi primùm ex cunis & à lacte tranſierunt. Id vbi ſcriptum reliquiſſet Varro quæſiui, & inueni in Nonij tribus locis diſcerptam hanc partem libri De educandis liberis, quem Catonem inſcribſit, fortaſſe quòd Catonem ſequeretur plurimum. is enim hac quoque de re præcepta perſcribſit. Ea ita compoſui. *Cùm primò cibo & potione initiarent pueros ſacrificabantur ab edulibus Eduſæ, à potione Potinæ nutrici. Sic cùm primùm fari incipiebant, ſacrificabant Dio Fabulino; ali, Statano & Statilino, quorum nomina habent ſcripta pontifices.* Neque verò dubito quin eodem hoc loco de Cuba quoque meminerit; cuius tamen rei in ruderibus Varronis veſtigium, quod ſciam, nullum exſtat.

CAPVT XXII.

Martialis aliquot locis emendatus. Biuira.

MARTIALIS libro V. epigrammate XXII.

Quintum pro Decimo, pro Craſſo, Regule, Marcum
Ante ſalutabat rhetor Apollonius:
Nunc vtrumque ſuo reſalutat nomine. quantum
Cura laborque poteſt, ſcribſit & edidicit.

MS. *Macrum.* Incidebat enim iſte quiſquis fuit rhetor in contraria, heſitante memoria: & augebat vitium,

tium, quòd Craſſi & Macri eiuſdem gentis ſint; vtrique enim Licinij.

Epigrammate III. libri VI.

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Iulo
Vera deûm ſoboles: naſcere magne puer.

rectè MS. *promiſſum numen.* Significat imperatorem futurum Domitiani filium: nam ij tantùm conſecrabantur. Vnde nota vox Seueri Imp. mirari ſe fatum Getæ filij, cui aſtra diuinitatem promitterent, ſpem imperandi adimerent.

Epigrammate XI.

Quòd non ſit Pylades hoc tempore, non ſit Oreſtes
Miraris? Pylades Marce bibebat idem.
Nec melior panis turdúſue dabatur Oreſti:
Sed par atque eadem cœna duobus erat.

MS. *Nec melior rhombus.* rectius: & id probat, quod ſubiicit diuerſum genus luxus in volucri.

Epigrammate XXXIIII.

Inguina ſuccinctus nigra tibi ſeruus aluta
Stat, quoties calidis tota foueris aquis.
Sed meus vt de me taceam, Lecania, ſeruus
Iudæum nulla ſub cute pondus habet.
Sed nudi tecum iuuenéſque ſenéſque lauamur.
An ſola eſt ſerui mentula vera tui?

Verſu quarto planè legendum, *nullus*: pro non, vt ſæpiſſimè Latini. Sexto arbitror reponendum:

An ſola eſt ſerui mentula verpa tui?

Eam enim cauſſam ſui tegendi etiam alij neſcio cui eſſe, Martialis alibi indicat.

Epigrammate LXXII.

Hinc viduæ Cybeles, illinc ſacraria Veſtæ,
Inde nouum, veterem proſpicis inde Iouem.

libri ſcripti, *biviæ Cybeles.* an fallor? an ſcribſit Martialis *biviræ*, tum eam vocem vt explicaret Grammaticus adiecit, *hoc eſt, viduæ*; eaque gloſſa in libros poſtea irrepſit. Vix eſt, vt hoc mihi poſſit eripi. Nam biuiras viduas Latinè dici Nonius docet adducto exemplo Varronis: *Ad biuiram venio, cùm vellem oſtendere quid vellem Metamelos inconſtantiæ filius me reprehendit.*

CAPVT XXIII.

Pompa. Nihil amare. Caſſa ſpecula, terricula. Mulo inſcitior. Muli. Ciſtellaria Plauti explicata, emendata.

CISTELLARIA Plauti prima ſtatim fabula Silenium quærenti Lemniſelenæ quo ad illam pacto Alceſimarchus inſinuaſſet, reſpondet: *per Dionyſia*
Mater pompam me ſpectatum duxit.
In quibus verbis poëta conſuetudine ſua ambiguo pereleganti luſiſſe videtur. pompam enim aut apparatũ ſacrificij intelligere licet, vt aliâs fere; aut ipſum Silenium. ad quod exemplum id Milite à paraſito dicitur:

——— quæ me ambæ obſecrauerint,
Vt te hodie quaſi pompam illàc præterducerem.

Et voluit fortaſſe notare mores mulierum, quæ, vt veriſſimè Naſo canit; ad huiuſcemodi ſollemnia
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ.
Eadem ſcæna aliquot verſibus pòſt, cùm puella matrem ſibi iratam diceret, quòd domum ſe non recepiſſet, ex quo ducendam Alceſimarcho vxorem inaudiſſet, ſubiicit eadem lena; *Nihil amare iniurium eſt*: quæ verba ſubobſcura, &, niſi fallor, perperam hactenus accepta ſunt. Ego arbitror hoc velle; non mirum eſſe, ſi mater irata ſit. iniuriam enim accipere à filia,

filia, quæ nihil amet; hoc eſt, ſine ſpe lucri ſui, & eum cuius animus alibi occupatus ſit: quorum neutrum meretriciam diſciplinam addecet. eæ enim lucrum tantùm, ſi frugi ſunt, amant; aduentores amare ſe ſimulant, dum id quod volunt auferant: tum inanes abs ſe amittunt; & Lucillij illud occinunt,

Quid mihi rautone hoc opus & tricone vadato?

Eadem fabula, Scæna Nullam ego me.

Non ecaſtor caſſa memoro. nam obſecro vnde hæc gētium.

Caſſa memorare, ſi locus bene habet, eſt fruſtrà & nequiquam verbis ſibi ſpem facere; cùm in re nihil ſit: à nuce caſſa, quæ putamen habet, nucleo deficitur. ita caſſam ſpeculam Appuleius dixit, Mileſiarum III: *Quin igitur maſculum animum ſumis, & caſſæ ſpeculæ renuncias fortiter, & vltroneam te dominæ tuæ reddis?* & Afranius caſſam terriculam, pro minis inanibus; Priuigno:

Numerò inepti pertimuiſtis caſſam terriculam aduerſarij.

Scæna ſequente:

Sed nónne ecaſtor ego ſum multo inſcitior, hos quæ rogem atque fatigem,

Qui ſemper malo muliebri ſunt lubentes.

Ita o.l. veteres, vt teſtati ſunt alij. verum eſt, aut veri ſaltim non diſſimile, ſcribſiſſe Plautum, *mulo inſcitior:* quod adagionem vrbanum & politiſſimo poëta dignum redolet. nam ita & mulos παροιμιωδῶς nominabant ſtupidos & hebetes ϰ ἀναιϑήτες. Catullus: *Mule, nihil ſentis.*

CAPVT XXIIII.

Duûm item locorum in Plauto correctio.

LEVE mendum contaminauit verſum Plauti

Milite, Scæna Niſi hercle defregeritis.

Euge euge euſchemè mehercule aſtitit dulcè & comœdicè.
Mirum eſt tamen, neminem monuiſſe reponendum heic, *dulicè & comœdicè.* De ſeruo enim ſermo eſt, quem ait perſonam ſuam præclarè agere, & ſtatum in comœdia ſeruilem egregiè repræſentare. Æquè facile fuerat maculam tollere è Sticho, Scæna Agite, ite foras.

Noſmet inter nos miniſtremus Monotrophe. hoc conuiuium eſt.

Nam vera ſcriptura eſt, niſi admodum animi fallor, *N. i. n. miniſtremus. monoſtrophe hoc conuiuium eſt.* Alluſit ad morem Scænicum, quo in orbem ibat cantio à ſtrophis ad antiſtrophas: ita enim in conuiuiis poculum à conuiuatoribus porrigitur pocillatori. at hi ipſi ſibi miniſtrabant, ſine puerorum opera: quare monoſtrophen illud ſuum ſympoſiũ vrbanè vocant.

CAPVT XXV.

Exigere. Defendere pro arcēre. Auēre. In Martiali verſus aliquot emaculati.

MARTIALIS libro VII. epigramma XXVII. ita concludit:

Sic fora mirentur, ſic te pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores;
Otia dum medius præſtat tibi parua December
Exigis & certa quos legis aure iocos.
Scire libet verum; res eſt hæc ardua: ſed tu
Quod tibi vis dici dicere, Fuſce, potes.

Rogat ſcilicet Fuſcum ſales ſuos vt cognoſcat, &, quid ſui de iis iudicij ſit, indicet: &, cupere ſe quidem verum ſibi dici, ſi tamen id ſpiſſius futurum ſit,

poſſe

poſſe eum gratiam, quam ponat in orationibus Fuſci laudandis, ſibi referre; vt fiat, quod dicitur, mutuum muli. Hæc ſententia quo minus in ipſis verſibus liquida & clara ſit leue mendum facit, verſu quarto: quod è fide vetuſti codicis ita corrigo, *Exige, ſed certa.* Exigere huic poëtæ accuratè perpendere & examinare eſt; vnde exacta, limata, &, vt cum Plauto loquar, amuſſitata. Suprà libro IIII.

Non tetrica nugas exigit aure meas. Item VI.

Dum noſtras legis exigíſque nugas.

Epigr. XXXV. eiuſdem libri:

Cùm pluuias madidúmque Iouem perferre negaret,
Et rudis hibernis villa nataret aquis,
Plurima quæ poſſet ſubitos effundere nimbos
Muneribus venit tegula miſſa tuis.
Horridus ecce ſonat Boreæ ſtridore december:
Stella, tegis villam; non tegis agricolam.

effundere nimbos, neſcio an dixerit poëta; hac quidem in ſignificatione. certè multò aptius huic loco quod mihi in mentem venit, & fortaſſean Martialis ſcribſit, *defendere nimbos.* Notum eſt, id verbum pro arcêre & repellere poni ſolêre. M. Tullius pro Roſcio Amer. *Iniuriam nouo ſcelere conflatam putant oportêre defendi.* Cæſar primo belli Gallici: *Quod bellum non intulerit, ſed defenderit.*

Epig. LXXX. libri X.

Plorat Eros, quoties maculoſa pocula myrrhæ
Inſpicit, aut pueros, nobiliúſue citrum:
Et gemitus imo ducit de pectore, quòd non
Tota miſer coëmat ſepta ferátque domum.
Quam multi faciunt quod Eros, ſed lumine ſicco?
Pars maior lacrimas ridet & intus habet.

Labor vt emendem, *& intus hauet.* Pleroſque, ait, non abſti-

abſtinentiores eſſe Erote, ſed prudentiores. ideò palam reprehendere cupiditatem tam apertam; clàm, &, quod aiunt, in pectore eadem illa requirere & deſiderare. Auêre ἐπιθυμητικῶς, pro cupere; vnde auidus & auarus. Sic Lucillius apud Nonium:

Cocus non curat codam inſignem eſſe, dum pinguis ſiet;
Sic animum amici quærunt, paraſiti diuitias auent.

Neque tamen inficior poſſe ex publicata etiam lectione ſententiam non incommodam elici; vt hoc poëta dicat, pleroſque lacrimas ridêre quidem, ſed eaſdem tamen in pectore habêre: verùm quod noſtrum illud argutius videbatur hominibus eruditis conſiderandum proponere volui, ſi fortè quibuſdam non omnino diſplicuiſſet.

FINIS.

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRI-
STOPHORVS PLANTINVS, AR-
CHITYPOGRAPHVS, CIↃ. IↃ.
LXXXII. KAL. FEBRVARII.

ERRATA SIC CORRIGE.

Præfat. principio. *tam nuſquam*. ſcribe, *tùm*.

Pag. 13. verb. Ennij, *pugnare ſuos*. ſcrib. *ſues*.

Pag. 19. *noceri poſſet*. ſcrib. *nocere*.

Pag. 26. *qui & conſonandi*. ſcrib. *conſonanti*.

Pag. ead. *Aucupare*. ſcrib. *Aucupari*.

Pag. 32. verb. Plauti. *ex inſperato à portu modo*. ſcrib. *opportuno modo*.

Pag. 33. verb. Varronis ſcribe, *exta caſa & porrecta*.

Pag. 39. *nobis*. ſcrib. *notabis*.

Ead. *iſtud bellè*. ſcrib. *bello*.

Pag. 41. *in commendandi*. ſcrib. *commendando*.

Pag. 42. Fugit me, Pomponium de origine iuris Craſſum Mucij fratrem dicere. hoc igitur muto. de correctione, in ſententia maneo: cauſas ediſſeram, deo faciente, alibi.

Pag. 53. *Titinnius Bubato*. ſcribe, *Barbato*.

Pag. 95. *locum Epiſatomo*, adde, *Cacilj*.

Pag. 109. *rautore hoc*. ſcribe, *mutone*.

Si quæ præter hæc erunt, tute, ſpero, tibi indicabis.

Ad
11.6846

NL
C.59